# DIALOGVS DE VTRAQVE IN CHRISTO NATVRA, QVOmodo [illegible] in unam Christi personam [illegible], ut [illegible] suas proprietates: ideoq; humanam Christi naturam propter personalem unionem nõ esse ubiq;. Respondetur item benignè ad argumenta doctorum virorum, contrarium asserentium: illustratur & Cœnæ dominicæ negotium, perspicuisq; scripturæ & Patrum testimonijs demonstratur, Corpus Christi non esse ubiq;, authore D. PETRO MARTYRE VERMILIO Florentino.

GALAT. VI.

[illegible]

TIGVRI

Excudebat Christophorus Proschouerus [illegible] M. D. LXI.

Sibi Johannis Conradi Cassiodorus [illegible] Wettenavi.

[illegible]

# REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. IOANNI IVELLO, Anglo, Dei gratia Sarisburgensi Episcopo, Domino suo colendiss. D. Petrus Martyr Vermilius diuinarum literarum professor in schola Tigurina, Salutem, id est in Christo suprema felicitatem dicit.



*VIdui inter sese litigarunt, Criticos & Palæmonas tandem quærunt, qui litem eorum, sententiam ferendo, post longam contentionem finiant. Nunc bi duo, nimirum Pantachus & Orothetes de grauissima quæstione diu certarunt: mihi autem id negotij datum est, ut illis de iudice prouiderem, Iudice sane incorrupto, & qui causam de qua nunc altercatū est, probè teneret. Illicò tu Reuerende Præsul in mentem ueniisti, ut apud quem gratia & odium in iudicando nihil ualeant. Cumq; scientia diuinarum & humanarum rerum plurimum polleas, ignorantia mentem tuam obscurare minimè potest. Quare mihi uisum est illos ad examen acerrimi iudicij tui mittere: quod etiam eò libentius*

facio, quia rem quæ in controuersia est egregiè cognitam habes. Habuerunt Ethnici pro summis iudicibus Aeacum, Minoem, & Rhadamantum. Sed cùm illos tres in te uno quo ad intelligentiæ acumen ac iustitiam habeamus, non debui alium iudicem ijs duobus inter se contendentibus extra te quærere, cùm potissimùm in iudicando alia regula quàm uerbo Dei uti non consueueris. Proinde te rogo, per eam humanitatem qua præditus es, ut inter eos de toto negotio iudicare minimè detrectes. Neq; hoc par litigantium (si modò sapiat) ægre feret abs te tali tantoq; uiro iudicari. Verùm ne quid te lateat, ego quæ ultrò citroq; dicta sunt, quantum potui bona fide consignaui. Tuum igitur erit Antistes incomparabilis, ea quæ scripsi perlegere, sed cùm uacaueris. Quod idcircò scribo, quia tuæ, cum sacræ, tũ magnæ occupationes me non fugiunt, quas etiam interpellare, nil aliud esse probè noui, quàm ecclesiæ Christi dare magnũ graueq; damnum.

Vt uerò contendentium argumenta & rationes facilius peruoscas, nec tibi multum in iudicando temporis impendendum sit, rem tã explicatam & apertam feci, ut uno intuitu facilè possis

possis totam seriem disputationis comprehendere. Olim excusauit Aristoteles apud Alexandrum, quòd sua edidisset ἀνεμπεπτεύτως, dicẽdo, Edidi & non edidi, quòd tantùm illi ea essent intellecturi, qui docentem ipsum audiuissent. Ad hunc uerò modum propterea scripsit, ut regem consolaretur, qui ea noluisset inuulgari. Ego autem quanta potui diligentia curaui, ut meus hic Dialogus clarus & perspicuus euaderet. Nam satius uisum est Lectorem aliquanto diutius occupare quàm illum obscura breuitate malè torquere. Neq; possum in rebus quæ magni momenti sunt Neoptolemo Enniano assentiri, qui aiebat, Esse quidem philosophandum, sed paucis: omnino autem minimè placere, quia inuolutæ quæstiones uel non sunt attingendæ, uel penitus explicandæ. Id uerò breui & cõcisa oratione minimè possumus consequi. Quare breuitati sic studendum semper existimaui, ut nullum dãnum fiat intelligentiæ, cui tenebræ nonnunquam obducuntur, quòd ea quæ difficilia sunt, breuiter ac strictim dicere conemur. Vnde Augustinus refert Alypium aliquando uehementer fuisse stomachatum, cùm grauis & difficilis proponeretur interrogatio, unà petendo,

ut responso quàm breuissimo tota res perspicuè dilucidaretur, quòd impossibile iudicaret quæstiones obscuras euolui posse, nisi oratione aperta: cui animaduertebat uix cum breuitate conuenire.

Non potest adhæc in hoc genere scripti breuitas retineri: quia non solùm astruenda sunt nostra, sed rationes quoq; aduersariorum diluendæ. Errarunt utiq; uehementer Ethnici, qui nõ modò Iouem colebant, sed etiam unà multos Veioues: illum quidem ut iuuaret, & opem ferret laborantibus, illos uerò ne rebus humanis officerent. Peruersum erat citra cõtrouersiam hoc eorum institutum, quia unicum omninò est numẽ, quod mortales et bonis innumerabilibus afficit, & idem summa iustitia in scelera sontiũ animaduertit. Propterea id genus diuini cultus rectè ac iure à pijs damnatur. Attamen in rebus agendis non est ab illa ratione ueterum discedendum: quandoquidẽ uera, utilia, et recta oportet operam dare ut retineantur & conseruẽtur: quæ uerò sunt praua, incõmoda & falsa, reprimenda & tollenda sunt, ne officiant. Idq; licet in omnibus rebus præstandum sit, in dissidijs attamen & certaminibus de religione ho-

mnium

*mnium maxime. Vbi non solùm dogmata sana pro uiribus & docenda & confirmanda sunt, uerumetiam simul captiones, tendiculæ, atq; argumenta sophistica ita eluenda, retundenda & dissoluenda, ne simpliciores & minus attentos lædant. Id ego quacũq; ratione potui sum conatus in hoc meo Dialogo efficere. Idcirco non ea breuitate uti licuit, quam & ego adhibere uoluissem, & Lector sibi offerri desyderasset.*

*Deinde ut in ijs legendis non offendereris, cùm humano & mansueto sis animo, conuicia, morsus acres, acerba dicta prorsus amoui. Quin eius etiã nomen, in quem scribo, apponere nolui, quòd eum potius emendatũ & correctum uelim, quàm nominatim traduci uel infamari: quandoquidem nõ hominis, sed erroris sum inimicus. Nec de Veritate disputatio (quantùm arbitror) personæ iniuria est, cum qua disputatur. Id à me procul absit, ut cuiusquam hominis existimationem uel authoritatem eleuare studuerim, cùm hæc scriberem. Sed hoc unũ quacunq; ratione potui sum conatus, ut & Christi humanitatem ostenderem non esse ubiq; (quod sanum rectumq; decretum orthodoxæ fidei minimè à Catholicis dubitatur) & unà rationes*

Vtinam [illegible] sic [illegible] sint modesti.

aduersarij ea qua ualui diligẽtia confutarem, ne rudibus & imperitioribus fucum facerent. Quantùm uerò in hac scribẽdi ratione sim assequutus, aliorum, & cumprimis tuum esto iudicium, quem certo scio in iudicando non esse cuiusquam amore lapsurum.

Ad hac uerò conscribenda, scito me nec libidine contendẽdi (à qua ut sim alienus ipse optimè nosti, si quis alius) nec etiam temerè sum incitatus. Primùm fratres & symmystæ sanctæ huius ecclesiæ Tigurinæ, me rogarunt etiã atq; etiam, ut id facerem: quorum iudicio & uoluntati nil potui salua fide nostræ coniunctionis denegare: alioquin eis licuisset me conserta manu in ius uocare, ac promissum per momenta exigere. Accessit præterea quòd ad me tua penultima epistola scribis, nonnullos etiam apud uos esse, qui iam de Vbiquitate cogitare incipiant. Sed adiecisti, quod me admodùm recreauit, non esse uerendum ut isti regno & Ecclesiæ tale dogma credẽdum unquam obtrudatur. O dictum benè. Certè me beasti. Hæ porrò causæ sunt, cur hanc qualemcunq; lucubrationem elaborauerim, tuoq; uoluerim amplissimo nomini πρεσφωνῆσαι. Non sanè quo te aliquid noui docere

statue

statuerim, neq; ut animum tuum ad me amandum allicerẽ. Nam cætera capita & dogmata nostræ religionis, et hoc unà cum eis apprimè tenes: & me (quæ tua bonitas est) iam à compluribus annis charitate incredibili atq; singulari prosequutus es. Verùm in hac dedicatione id maximè spectaui, ut aduersus Μαρτυρομάστιγας, quos numero haud paucos esse arbitror (quemadmodũ res humanæ sunt comparatæ) fortem, sapientem, & amicissimum patronum haberem, qui me ab obtrectatoribus, & maleuolorum atro morsu, indefessè atq; alacriter defenderet. Ipse uerò ad hoc officiũ mihi præstandum, non tantùm eo impelleris amore, quo erga me afficeris, Imò & eximia tua pietate ac eruditione propè incredibili, quo duplici ornamenti genere Dei fauore mirum in modũ polles. Nec sanè dum ita de te iudico, quicquam uereor, ne in me illud Theophrasti quadret, τυφλὸν τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον. Proinde ob excellentem doctrinam poteris nullo negotio tam crassum errorem, tua illa quàm acerrima Αὐτόπτη coarguere.

Deinde pro tuâ sanctissima pietate, quæ summo studio puri cultus diuini quàm ardẽtissimè

flagrat, hæc dogmata parum syncera, ne quid grauius dicam, in uestris ecclesijs non patieris liberè uagari, seu errare, nedum altius radices agere. Quodq; de te sentio, idē quoq; persuasissimū habeo de reliquis collegis ac fratribus tuis, qui modò in Anglia, patria uerè dilectissima Deo, Episcopos agunt: quos Dei beneficio coguntur omnes, uelint nolint, confiteri, cum religione, tum doctrina insigniter esse ornatos. Verùm tu Reuerende Præsul, cum inter alios ut fulgentissimum sydus resplendeas, quæso da operam quàm maxime, ut apud nos Cœnæ sacræ dogma purum et sanctatectum conseruetur. Eo quippè infuscato, uiolato, & corrupto, nostri quot horrenda monstra & fœdissima portenta ecclesiam Filij Dei peruaserint, atque miserè uastarint. Nec aliud (quemadmodum te non latet) hæc sibi noua quærit ubiquitas, quàm ut fucatis quibusdam rationibus & argumentis, imprudentibus persuadeat corpus & sanguinem domini pani et uino sacræ Cœnæ (ut loquuntur) uerè, realiter, corporaliter, substantialiter, modo cœlesti, arcano, ineffabili adesse. Nam si Christi natura humana ubique præsens adesse constabiliatur, quis obsecro tergiuersationi re-

lin-

linquetur locus, quo minus ea, de quibus agi-
tur, atque inter nos contenditur, in pane atque
in uino adesse præsentia confiteamur? Omnes
profectò quotquot Christum purè ac sana fidè
colimus, niti manibus pedibusq; oportet, ut ui-
nea domini à squallore, spinis, tribulis, & ne-
pribus, tandem aliquando euadat purgatissi-
ma, quo iustum, dulcem, uberemq; fructum he-
ro suo queat producere. Sed tamen Episcopo-
rum, pastorum, atque doctorum, id uidetur esse
opus magis proprium ac legitimum. Quare te
necesse est, una cum alijs qui diuina sorte na-
ctum eandem ecclesiæ gubernatis ac regitis, ad-
uigilare, ne Christi hæreditas nouo aliquo erro
rum genere subinde uitietur. Diabolus nil
magis horret, quàm ut sanctum Euangelium
Filij Dei purè castèq; in Ecclesia prædicetur.
Ideò in cœtibus reformatis id maximoperè dat
operam, apertè inquam, ac per insidias, ut uera
falsis permisceantur, & mendacia subdolo mel
le circumlinens, obtrudit Christi fidelibus no-
ua & absurdissima dogmata credenda, & pro-
fitenda, ut illos hostibus irrisis, nimirum Pa-
pistis, & prudentibus hominibus ridiculos &
contemnendos propinet. Equidem ut officio meo

non deessem, hac in re quod potui effeci. Agnoscens autem uirium mearum infirmitatem, uideo me tibi eam tradere affectam, non absolutam. Proinde tuum erit eam perfectam, & omnibus numeris plenam reddere. Quod facies ea supplendo & addendo, quæ à me præterita esse animaduerteris.

Nec tantùm putes à diuinis literis nos moneri, ut domini uineam sedulò colamus, uerum etiam (ut non latere te credo) Ethnicorum sapienti exemplo ad id incitamur. Nam M. Cato scriptor uetustissimus testatus est, & quidem crebrò (ut Aulus Gellius refert libro 12. Noctium Atticarum cap. 12.) si quis agrum suum passus fuisset sordescere, illum parùm diligenter curando, aratione ac repurgatione prætermissa, uel arborem suam, uineámue incultam reliquisset, is minimè abibat absque pœna, sed à censoribus ærarius fiebat. Quin & à Romanis Equitibus ijdem censores equos publicos auferebant, si eos deprehendissent strigosos, graciles, macilentos, & parùm nitidos, & loco atque ordine equestri mouebant, quos incuriæ, uel (ut ille scribit) impolitiæ notassent. Hoc scribo ut me præter officium non fecisse ostendam,

dam, hoc Dialogo conscribendo, quo ecclesia purgatior ab huiusmodi sordibus evadat, & redditur nitidior: Nec te ab Episcopali functione discessurum, si pro viribus curaveris, ut peregrine & falsæ huiusmodi sententiæ ab ovili Christi repellantur. Id verò abs te duplici ratione commodè fiet, & meum libellum (si tamen id mereatur) ab emendis tuendo, & in eo minus idoneis meliora & firmiora substituendo.

Iam quid abs te velim, Reverende ac doctissime vir, paucis exposui. Nunc id restaret, ut (quemadmodum fieri solet libris dedicandis) ex tuis virtutibus te plurimum toti orbi Christiano commendarem & celebrarem: ad quam rem exequendam si animum appellerē, oratio ipsa me prius deficeret quàm materia. Nam fortassè alius non reperietur, qui verius & certius quàm ego de tuis virtutibus ac integra & incorrupta vita quæas dicere, ut qui non audita vel alienda relata proderē, sed quæ ipse oculatus et præsens testis viderim, ac sim expertus. Mitto acumen ingenij, eloquentiam, studia, labores, certamina religiosa: ergò, modestiam, æquo temperantiam: quibus olim, cùm essem Osnabrugij, te cognovi egregiè ornatū. Nam

cùm ibi unà minime uiueremus, permulti ſuſpicari poſſent, me uel falſum, uel quoquo modo hallucinatum. Quia homines aſtuti dant interdum foris multiplicia uirtutum ſpecimina, cùm intus madeant ſceleribus intercutibus. Ac poſteà cùm ex Anglia in Germaniam commigraſſes, & mecum plures annos cum ſub eodem tecto, tum eadem uixeris menſa, eorundemq; ſuauiſſimorum colloquiorum, exercitationum, & ſtudiorum participes quotidie fuerimus, Ego unus omnium opinor me poſſe, de tua ſyncera fide, moribus honeſtiſſimis, animo ſimplici, candidiſſimo pectore, citra ullum errorem, iudicare. Taceo amœnum ingenium, doctrinam interiorem, graue ſanumq; iudicium, quæ mihi experto & αὐτόπτῃ fuerunt compertiſſima. Cæterum ſi uelim nunc harum pulcherrimarum rerum explicationem ingredi, atque apertè quid nam de te ſentiam patefacere, non ſolùm tranſgrediar epiſtolæ modum, ſed etiam tuas aures, quæ ſemper fuerunt à proprijs laudibus alieniſſimæ, uehementer offendam. Deinde minus dicam quàm ipſa res exigat, & actum agam, cùm ipſe benè docendo, rectè uiuendo, & functionem tibi commiſſam integerrimè obeun-

obeundo, illustrior et clarior euadas, quàm possis hominum scripcis commendari & celebrari. Vnde iam te adiuuet uel peruenisse arbitror, uel parum abesse, quod Hieronymus ad Pammachium in prologo 2. libri in Hoseam refert ex Liuio de M. Catone. Cuius gloriæ, ait, neque profuit quisquam laudando, neque uituperando quisquam nocuit, cùm utrunque summis præditi ingenijs fecerint. Significat enim M. Ciceronem & C. Cæsarem, quorum alter laudes, alter uituperationes eius uiri scripsit. Quare in præsentia decreui à conatu impossibili, uano, atque tibi parum grato desistere.

Te nihilominus ad extremum rogabo dulce decus meum, & ecclesiæ Christi columen ac splendidiss. ornamentum, ut meum hoc munusculum non modò boni consulas, uerum etiam ut grato animo accipias. Quod uerò complura quæ de ista causa dici potuissent omiserim, scito propterea factum, quod mei Pantachi sim coactus pertexere stamina, subtegmina, & licia. Verùm quispiam alius fortasse me sequetur, qui non tantùm ea quæ dixi repetet, & confirmabit, uerùm et aliquid neruosius & firmius adijciet, quo hæc noua pestis facilius extingua-

sur. Deinde in hoc argumento feliciter admodum versatus est vir clarissimus Heinrychus Bullingerus Ecclesiæ Tigurinæ minister præcipuus, Pater & frater in Christo colendissimus. Ideò ne actum agerem, oportuit me, quæ ab eo satis dilucidè sunt exposita, vel præterire, vel admodum leuiter attingere. Ac licuisset profectò supersedere hoc labore, nisi postquam ille suum libellum De mansionibus cœlestibus inuulgauit, is fuisset editus, cui sum rogatus (ut ab initio dixi) & quidem vehementer, ut responderem. Vnum postremò requiro, idq; in re nostræ iam inueteratæ amicitiæ peto etiam atque etiam, ut precibus tuis impetres mihi apud cœlestem patrem vocationis meæ salutarem et uberem fructum, ut non incassum cucurrerim, sed ecclesiæ Christi ædificationem pro modo pecuniæ mihi à domino creditæ promouearm. Vale Antistes Reuerende. Deus te incolumem isti regno & ecclesiæ quàm diutissime seruet. Datum Tiguri 15. Augusti. 1561.

# DIALOGVS
## DE NATVRA HVMANA Christi, An sit ubiq;.

### Personæ.

PANTACHVS. OROTHETES.

VNDE te Orothetes in hanc porticum recipis? Videris, nisi me animus fallit, grauia quædam, nec sine dolore tecum in animo agitare. OROTHE. Venio à bibliopola, quò me contuleram ut nouos libros nuper allatos inspicerem. PAN. Quid obsecro nactus es boni? ORO. Id nunc mecum stomachabar, quòd liber molestus admodũ, & παράδοξος primò aspectu se obtulit. PAN. Non potes effari quæ ibi deprehenderis tam dura, & à sensu tuo aliena, ut ea non possis concoquere? ORO. Ea illic animaduerti fusius explicari, quæ tu, cùm sis ex illo grege, mihi aliàs pressè, ac satis obscurè indicasti. PAN. De multis quandoq; sumus inter nos colloquuti. Et cùm sim Dauus non Oedipus, quò tu spectes nequeo diuinare. ORO. In summa libri argumentum est, Christi corpus esse ubiq;. Vnde sentio uerissimum, quod uulgò iactatur, Nullam rem esse tam rectè dictam, sapienterue constitutam, quæ malè narrano

do, seu peruerse interpretando non possit depraua-
ri. PAN. Quorsum hæc? ORO. Quia pro Christi
dignitate ac ueritate asserenda contra Nestorium, nil
potuit diuinius constitui, quã unio duarum natura-
rum in eadem persona, sed nunc proh Dei atq; homi-
num fidem, quæ inde peregrinæ opiniones, & noua do
gmata, ne quid dicam durius, colliguntur? Nec ea (ut
arbitror) suis authoribus per se bella & sana uideren
tur, nisi quod semel in affirmanda Reali Substantiali,
Corporaliue (ut crassa pinguiq; oratione loquun-
tur) corporis & sanguinis Christi præsentia in pane
ac uino Cœnæ Domini fines orthodoxæ fidei transi-
lierunt. Et idcirco ut sua figmenta quoquomodo cõ-
stabiliant, pergunt magno suo malo, & ecclesiæ non
leui dãno, confidentius insanire, atq; cõstanter, uel po-
tius pertinaciter defendunt, non propter aliã causam,
Humanitatẽ Christi omnia loca implere. Absurdiora
porrò hæc sunt, quam ea propter quæ elaborantur.
Papistæ, quibus nil deprauatius fingi potest, quamuis
illam præsentiam cum uana & detestanda errorũ do-
cent, non tamen adeò sunt rationis, diuinarum litera-
rum, et sensus cõmunis expertes, ut portentosam ubi-
quitatem sibi unquam fabricarint: quin potius ab eo
ceu dogmate prorsus diuerso & alieno ab ecclesia, ut
hemen er abhorrent. Quid attinet de patribus loqui?
Nemo eorum unquam dixit, scripsit, aut docuit, natu-
ram humanam Christi omnia loca implere. Nunc de-
nique nata est hæc oratio. Vtinam hoc quoq; tempore
aboleatur. PAN. Et si me non latet ipso dogmate
mirificè te conturbari, non tamen desistã illud pro uiri-

bus

bus tueri: non enim id patrocinio meo fraudare uolo, quod ut uerum & sanum dogma quàm maxime amplector. Miror imprimis uehementer uos non posse cogitationes de dimensionibus Geometricis excutere, ubi de Corpore Christi disputatur. ORO. De Geometricis dimensionibus nihil respondeo. Sed illud tibi affirmo, nos molem, ac magnitudinem, staturæ modum, partes, lineamenta, & membra quæ homini congruant, nec uelle, nec posse à corpore Christi remouere. Nam corpus humanum, si ab eo auferatur compositio membrorum, conformatio lineamentorum, iusta mensura, & circumscriptio, funditus euertitur.

PAN. Non intelligo an insciens agas, an data opera nos calumnieris, quasi nostra doctrina corporis Christi naturam extinguamus. Nec in eo calumniam effugere potestis, quòd portentosam uocem Vbiquitatis feciſtis, Latinis auribus hactenus inauditam, quo apud rudem plebeculam nos gramaretis. ORO. Noua & prodigiosa res opus habuit nouo & prodigioso uocabulo. Et eæ uoces iure laudantur, quæ significantius res exprimunt. Sed age tu uicissim dicas, quare uos, ut ueram sanamq; doctrinam, quam profitemur, odiosam orbi Christiano redderetis, nos in uestris libris passim Phanaticos, Sacramentarios appellaueritis? Cùm autem docetis corpus Christi esse ubique, non uideo quo minus ista conditio, seu facultas detur, quam ei male affingitis, non posse dici Vbiquitas. Assignatur Corpori Christi ac beato cū à Scholasticis quatuor dotes, Impassibilitas, Claritas, Agilitas, & Subtilitas: at uos ijs non contenti,

docẽdo illud omnia loca implere, aliam ei dotem adie
cistis, quam commodiori uoce quàm Vbiquitatis non
potuimus notare. Si contenti fuissetis receptis illis do
tibus, non fuisset recens nomen cudendũ. Quare id uo
bis consulo, ut desinatis prædicare Humanitatẽ Chri-
sti esse ubiq;, si uultis ut nobis temperemus à uoce V-
biquitatis. Alioqui uos Vbiquistas appellare usq; per
gemus, dũ in uestra pertinacia duraueritis. Nec iuste
poteritis existimare cõuitiũ uobis esse allatũ, cùm præ
ijs quæ ipsi nobis facitis, ne uix quidem sit relatum.
PAN. Eòdẽ etiã pertinet quòd nos dicitis corpus
Christi tanquã alutam in omnia loca Geometrice ex-
tendere ac diffundere. ORO. Neq; de aluta, neq;
de alia quauis pelle contendimus: uerùm corpus hu-
manum constanter dicimus ea non posse implere loc
ca, ad quæ non pertigerit. Id autem quomodo aliter
fiat, quàm eius magnitudinis extensione, uos nostra
ætate soli commenti estis. Papistæ uobis utcunque oc-
casionem dederunt, suam transsubstantiationẽ uel ex-
plicando, uel defendendo: sed uos illos magno inter-
uallo superastis. Hoc si hactenus ecclesia dei non ui-
dit, ipsi ut lusciosi minimè sumus accusandi. Literæ di-
uinæ corpus Christi esse ubique nusquam dicunt, Pa-
tres id minime affirmant, Scholastici ubique respuunt.
quare in nobis culpa nequaquam inhæret. Sed uos pro
claris inuentis uestris eò corpus Christi redegistis, ut
à nescio quibus cũ aluta conferatur. Non memini tamẽ
uel à me, uel à quopiam nostrum, alutæ collationẽ esse
allatam. Id autem obliuisci non possum, uestros nobis
per summam iniuriã obijcere angulum nescio quem.

Vbiquistæ

Aluta aut [illegible] pelle.

Literæ diuinæ corpus Christi esse ubique nusquam dicunt. Patres idem negant. Scholastici ubique respuunt. E. non est credendum illi dogmati quod [illegible] statuit.

Sunt q. eiusmodi collationes ad nodum odiosæ, & causæ plus obsunt quam prosunt.

er gurgustium eius, quo Christi corpus alligemus, cum illud agere doceamus in quadam amplissima regione uniuersum, quæ sita est ultra omnes aspectabiles cœlos. Nunc itaque si libet conferantur simul extensio aluteæ (nam eius comparatione putatis uos grauari) cum paruo angulo, uel breui gurgustio, quo nobis inuidiam conflatis: & sentietis uerbum uerbo, & par pari ne dum quidem esse redditum. Mitto præterea nos à uestris insimulari, quasi axiomatis Aristotelicis nimis adhæreamus. PAN. Id non iniuria dicimus, quia unà cũ eo mordicus asseritis, ἅπαν σῶμα ἐν τόπῳ. Et: οὐδὲν ἄνευ σώματος ἔστιν τῶν ὄντων. ORO. Nos, ut scias, hominibus in causa religionis minime sumus iurati. Sed uerum à quocunque dictum fuerit, ut à spiritu sancto prolatum amplectimur. Proinde tu mihi uelim demonstres, quæ sancta oracula nos prohibeant sentire cum illis, qui omne corpus esse in loco perhibeant. Id profecto Augustinus affirmauit ad Dardanum, cui uiro secundum sacras literas ego semper multum tribui. Ad hunc autem modum scripsit: Nam spacia locorum tolle corporibus, nusquam erunt: & quia nusquã erunt, nec erunt, &c. Cedò aliquem ex ueteribus patribus qui secus aut dixerit aut scripserit? Dictis Aristotelis non subscribimus authoris causa, sed quòd eius quædã ἀξιώματα uera iudicemus, ut à Paulo prolata sunt quædam Poetarum carmina. Vbi uerò idem Philosophus deceptus est, & pugnantia cum pietate docuit, illi minime omnium suffragamur, imò errores eius acerrime oppugnamus. Extra cœlum autẽ nullum corpus esse, in uniuersum non assentimur, quia

Omne corpus in loco

Augustinus multum in sacris literis tribuendum.

An extra cœlum sit aliquod corpus.

ultra firmamentum, quod octauũ orbem nostri faciũt, est regio felicissima, ubi corpus Christi degit, & sancti sua loca, sedes, & mansiones, cum habent, tum post resurrectionem sunt habituri. Sin uerò etiam regionẽ illam cœli nomine comprehendamus, fieri potest ut extra eam nullum reperiatur corpus.

An corpus Christi sit simul præsens in pluribus locis.

PAN. Cum Aristotele agite ut lubet. Ingrediamur potius ad illud excutiendum, Quomodo corpus Christi possit in multis locis præsens adesse. Vos porrò id negatis: neq; à nobis diuersum statuitur, si eius natura per se ac seorsim æstimetur. Sed quin uirtute dei hoc fieri possit, nihil uidemus obstare. Quis enim eius potestati atq; fortitudini ausit præscribere? ORO. Maior pars ex nostris rationem allatam sic exciperet, non uocari iam in controuersiam Dei uires, tantum de illius uoluntate inquiri: quæ ab hominum intelligentia non percipitur, nisi quoad se in sacris literis patefecit. Quare si opinionem uestram probatam uultis, ostendatis oportet sacris testimonijs alicubi expressum, corpus Christi esse ubiq;, aut simul in diuersis locis. Id uerò neq; præstitistis unquã, neq; (uti confido) poteritis efficere, cùm à nobis in Euangelica historia testimonia permulta demonstrentur, quibus Christus, nimirum quoad humanitatem, aut hic, aut illic non fuisse dicitur. Aiebat se relinquere mundum, Discipulos habiturus perpetuò secum pauperes, non autem ipsum, Et si gaudere quòd apud Lazarum non fuerit, cùm est uirtuus. Deinde angelus dixit, Surrexit, non est hic. Et in Euangelio & in Actis discessus eius, hoc est ascensio

in cœlum, tam liquidò ac perspicuè describitur, ut nemo queat eius abitum à rebus humanis ignorare. Argumẽta uerò à Dei potestate petita, ut infirma, & periculi plena sint, cùm dogmata dubia sunt confirmanda, ego ex meo capite nõ exponam, sed ex Patrum sententijs perspicuè demonstrabo. Tertullianus aduersus Praxeam ita scribit, Ergò, inquiunt, difficilè non fuit Deo, ipsum se, & patrem & filium facere, aduersus traditam formam rebus humanis. Nam & sterilem parere contra naturam difficile Deo non fuit, sicut nec uirginem. Planè nihil Deo difficile, sed si tam abruptè in præsumptionibus nostris hac sentẽtia utamur, quid uis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere, ideoq; credendum est illum fecisse, etiam quod non fecerit: sed an fecerit requirẽdum. Potuit, ita saluus sim, Deus pennis ad uolandum hominem instruxisse, quod & miluis præstitit: non tamen quia potuit, statim effecit. Potuit & Praxeam & omnes pariter hæreticos statim extinxisse, nõ tamen quia potuit, extinxit: oportebat enim & miluos esse, & hæreticos, &c. Et mox: Probare autem tam apertè debebis è scripturis, quam nos probamus illũ sibi filiũ fecisse sermonem suũ, &c. Ex his uides quàm suspectæ sint rationes quæ à uobis et ab alijs ex diuina potestate nectuntur.

Argumenta à potentia dei, cum infirma tum periculosa.

Tertullianus.

PAR. Nequaquã ex nudo omnipotentia Dei cõficimus Corpus Domini esse ubiq;, seu in multis locis. Habemus eius rei testes diuinas literas, et inter eas potissimũ Verba Cœnæ. Dixit quippe Dominus, Hoc est corpus meũ. ORO. Ea uerba cum habeant sensum

oppidò quàm facilem & expeditum, quo nos utimur, eorum præsidio nudaris, et solum tibi restat, ut omnipotentia diuina tuas rationes fulcias: quod argumenti genus (ut iam sum testatus) & inualidum est, & uehementer periculosum. Hoc responsum nostrorum approbandum censeo. + Verùm libet nonnihil ulterius progredi, & quædam esse affirmo, quæ suo defectu seu uitio nullo modo fieri possunt, incolumi et salua nihilominus diuina potestate. Nam quæ facta sunt, nulla potentia reddi possunt infecta. Et Hieronymus Tomo 1. ad Eustochium, De Custodia uirginitatis, inquit, Audenter loquar, Cùm omnia posit Deus, suscitare non potest uirginẽ post ruinam. Augustinus etiam ita scribit, De Ciuitate Dei lib. 5. cap. 10. Potestas Dei nõ minuitur, cùm dicitur mori falliq; non posse. Et mox: Propterea quædã non potest, quia omnipotẽs est, etc. Ista propterea fieri nõ possunt, quia seipsa destruunt, & (ut loquar cũ scholis) contradictionem implicant. Nempe ut Deus, qui est uita, moriatur, et qui est ipsa ueritas, fallatur. Augustinus de eadem re lib. 26. contra Faustum cap. 5. ad hunc modum scribit: Quisquis itaque dicit, Si omnipotens est Deus, faciat ut quæ facta sunt, facta nõ fuerint: nõ uidet hoc se dicere, Si omnipotens est, faciat ut ea, quæ uera sunt, eo ipso quo uera sunt, falsa sint. Potest enim facere ut aliquid nõ sit, quod erat. Tunc enim facit ut non sit, quãdo id esse inuenerit de quo fiat. Velut cum aliquem qui cœpit esse nascendo, facit non esse moriendo: hoc enim factum inuenit de quo fieret. Quis aũt dicat ut id quod iã nõ est, faciat nõ esse? Quicquid enim præteritũ est, iam

Quædam sua natura fieri non possunt, salua Dei potentia. Hieronym.

Augustin.

Augustin.

iam non est. Quod si & de ipso fieri aliquid potest, adhuc est de quo fiat: etsi est, quomodo præteritum est? Non ergo est, quod uerè dicimus fuisse. Sed ideò uerũ est illud fuisse, quia nostra sententia uerum est, non in ea re quæ iam non est. Sententia quippe qua dicimus aliquid fuisse, ideò uera est, quia illud de quo dicimus iam non est. Hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius ueritati. Quod si quæras ubi sit uera hæc sententia, prius inuenitur in animo nostro, cùm id uerum scimus, & dicimus. Sed si & de animo nostro ablata fuerit, cum id quod scimus, obliti fuerimus, manebit in ipsa ueritate. Semper enim uerum erit, fuisse illud quod erat, & non est: & ibi uerum erit, iam fuisse quod erat, ubi uerum erat antequam fieret, futurum esse quod non erat. Huic ueritati Deus non potest aduersari, in quo est ipsa summa & incommutabilis ueritas, quo illustratur ut sit, quicquid in quorumq; animis & mentibus uerum est. Omnipotentem autem Deum non ita dicimus, ac si eum etiam mori posse credamus; & quia hoc non potest, ideò non sit dicendus omnipotens, &c. Nec non Theodoretus in 3. Dialogo, qui ab eo uocatur Impatibilis, ait non esse enunciandum indefinitè omnia Deo possibilia. Nam qui hoc absolute dixit, omnia & quæ bona sunt, & quæ contraria simul dixit, &c. Et mox: Deum non posse peccare affirmat, quod ab eius natura sit alienum. Vnde conficitur Deum multa nõ posse quòd multa sint peccatorum genera, & cum sit uera lux, non potest fieri tenebræ. Deinde cum sit inuisibilis eius natura, fieri non potest ut ea sit uisibilis: sed

nec ut sit comprehensibilis. Nec qui est, fieri potest ut non sit: Nec ut pater sit filius: Neque ut qui est ingenitus, sit genitus: Sed neque filius fuerit unquam pater: Neque Spiritus sanctus fieri unquam poterit filius, uel pater. Multa quoque alia inuenimus huiusmodi quæ fieri non possunt. Neque enim quod est æternum, fuerit subiectum tempori: Neque quod est increatum, creatum uel factum: Neque finitum, quod infinitum: & quæ sunt his similia. Sed horum quippiam non posse, est infinitæ potentiæ signum, non imbecillitatis. Et mox: Deum talia non posse diuinus Apostolus & intellexit & posuit. Ad Hebræos enim scribens, sic dicit, Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmam consolationem habeamus. Et scribens ad Timotheum, hæc quoque adiecit: Fidelis sermo. Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si substinebimus, & conregnabimus: si negauerimus, & ille negabit nos. Si diffidimus, ille fidelis manet, se ipsum negare non potest, &c. Hinc facile cognoscis Dei potestate salua & incolumi permulta reperiri quæ nullo modo fieri possunt: ea scilicet, quæ rei naturæ ac definitioni repugnant. Quis dixerit posse fieri ut triangulus sit quadrangulus? utq; numerus ternarius sit quaternarius? Potest sanè Deus efficere ut ista non sint, sed ut simul ita sint & non sint, fieri non potest. Proinde corpus humanum cùm id oporteat ex natura & definitione sua finitum, circumscriptum, ac delineatum esse, fieri non potest ut plura loca simul occupet, uel ut sit ubiq;. Suos quippe terminos, fines & cancellos egrederetur, atque humanum corpus esse definitum

Conclusio

Argum.
Corpus humanum quia sua natura est circumscriptum, finitum, fieri non potest ut sit ubique.

Circumscriptum esse sic probo:
Universa quæ facta sunt, circumscriptum habent substantiam. Dies pag. 8
Corpus est homo factus ex semine Dauidis. Minor probatur passim in S.
E Corpus homo habet circumscriptam substantiam. [illegible] Deus filium [illegible] ex natura.

desineret. Vt autem simul idem & sit, et non sit, nulla ui potest effici. Nam ea enunciata, quæ de eadem re simul affirmant & negant, mutuo se interimunt.

PAN. Sed corpus Christi hoc peculiare habet, ut sit ubiq; seu in multis locis non localiter. ORO. Hoc non est aliud quàm figmenta figmentis accumulare. Id restabat, ut corpus in loco esse diceretis, idq; nõ localiter. Hac ratione quispiam dicet nos quoq; homines esse, non humanè: doctos, non doctè: ac sapientes, minimè sapienter. Cur è scripturis, ex Patribus, ex aliquo symbolo fidei, uel ex Concilijs receptis & probatis, non docetis nos hoc uestrum nouum somnium? Illud primi Scholastici uiderunt per inquietem, dum animaduerterent, se non aliter suam realem in Eucharistia præsentiam corporis & sanguinis Domini posse defendere. Ab illis hoc uestrum dogma procul dubio hausistis, cùm uos grauiora & saniora testimonia deficerent. Sed ecclesias gratia Christi reformatas minimè latet, qua laboretis inopia firmorum argumentorum. Et idcircò, quantum mihi persuadeo, non sinent sibi tuam hanc nouam doctrinam obtrudi.

PAN. Ad illud me refero quod paulò antè dicebam, Quod natura sua corpori Christi non conceditur, illi tribuendũ esse ui et potestate diuina. ORO. Ego uerò è contra tibi affirmo nulla ui fieri posse ut res creata sit ubiq;. Deinde assumo corpus Christi rẽ esse creatam, quod nemo inficiabitur, nisi dixerit illud ante omnem æternitatem extitisse. PAN. Tibi facilè dabitur humanitatem Christi rem esse creatam, sed creaturam nulla ui posse esse ubiq;, te demonstrare

Nihil potest & non esse.

Argum. Corpus Christi est in multis locis sed non localiter. In Loco ei localiter

pag. 3.

Nulla creatura potest esse ubiq.

Hic faciunt testimonia S. Scripturæ fol. 3 posita.

Basilius. necesse est. ORO. Basilius in libro de spiritu Sancto cap. 22. scribit ad hunc modum. Nam angelus qui astitit Cornelio, non erat in eodem loco etiam apud Philippum. Nec qui ab altari Zachariam alloquebatur, eodem tempore etiam in cœlo propriam sedem ac stationem implebat: At uerò spiritus sanctus simul & in Habacuc, & in Daniele in Babylonia operari creditus est, & in cataracta cum Hieremia esse dictus est, & cum Ezechiele in Chobar. Spiritus enim Domini repleuit orbem terrarum. Et quò ibo à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Et propheta, Quoniã, inquit, ego uobiscum, dicit Dominus, & spiritus meus stat in medio uestrum. Qui uerò ubiq; est, & Deo adest, eum qualis naturæ putare cõuenit? Eius ne qui omnia complectitur, aut eius quæ particularibus locis includitur, qualem esse angelorum naturam scriptura ipsa ostendit? &c. Proinde is pater hoc argumento spiritum sanctum non creaturã, sed Deum esse confirmat, quòd eodem tempore in multis locis & ubiq; sit. Quare alterutrum fateri te oportebit, aut corpus Christi non esse creaturam, cùm illud ubiq; prædices esse, uel argumentum istius patris nihili fuisse: quod si ausus fueris dicere, id saltem inde colligam, sensum ecclesiæ illo tempore fuisse, Diuinitatem solam esse ubiq;. Et ne sis nescius, cũ Basilio facit Didymus de Spiritu sancto. Nã ita scribit, Ipse, inquit de spiritu sancto, si una de creaturis esset, saltem circumscriptam haberet substantiam, sicut uniuersa quæ facta sunt. Nam si non circumscribantur loco, & finibus inuisibiles creaturæ, tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus autem

Quo argumento spiritus sanctus probetur esse Deus.

Didymus.

tem ſanctus cum in pluribus locis ſit, non habet circũ-ſcriptam ſubſtantiã, &c. Et mox: Si ergò hi Apoſtoli in extremis finibus terræ ob teſtimonium Domini conſtituti diſtabant inter ſe longiſſimis ſpacijs, aderat autem inhabitator ſpiritus ſanctus, incircumſcriptam habens ſubſtantiam, demonſtratur angelica uirtus prorſus ab hoc aliena. Angelus quippe qui aderat uerbi gratia Apoſtolo in Aſia oranti, non poterat ſimul eodemq; tempore adeſſe alijs in cæteris partibus conſtitutis. Spiritus autem ſanctus non ſolùm ſeiunctis à ſe hominibus præſto eſt, ſed & ſingulis quibuſq; angelis, principatibus, thronis, dominationibus inhabitator aſſiſtit, & ut hõmines ſanctificans, alterius quàm homines eſt naturæ, &c. Ex his probatur diuinitas ſpiritus ſancti, quòd ſimul eodemq; tempore in locis diuerſiſſimis inueniatur. Vnde ſi de corpore Chriſti hoc idem ſtatuatur, conſequetur porrò creatũ corpus, eſſe Diuinitatem. Quin & Beatus Vigilius in diſputatione inter Sabellium, Photinum, Arium & Athanaſium de hac eadem re ita ſcripſit, ſub Athanaſij perſona: Hinc præcipue declaratur ſpiritũ ſanctum Deũ eſſe, quia ubiq; eſt, & nullo continetur loco, ſicut propheta dicit ad patrem, Quò ibo à ſpiritu tuo? Et commonet, Spiritus Domini repleuit orbem terræ. Eſſe enim ubiq;, & uno eodẽq; momento cœlos, terras, maria, infernaq; replere (ut Dauid ait, Si aſcẽdero in cœlũ, tu illic es: et ſi deſcẽdero ad infernũ, ades) non creaturæ, ſed ſolius Dei eſt propriũ, &c. Nec multò pòſt in eadẽ diſputatione habetur, Non ergò inquam uniuſ naturæ eſt, præſepis gremio contineri, & aſtrorum Vigilius.

indicijs prodi, hominibus subijci, & ab angelis ministrari, de loco ad locum fugere, & ubiq; præsentiam sui exhibere, terram incolere, & cœlestia non deserere, &c. Eodem quoq; probationis genere Cyrillus utitur, libro 13. Thesauri cap. 2. scribens, Deus ex parte cuiusdam prophetæ dicit, Nónne cœlum & terram impleo, dicit Dominus? implet autem per spiritũ sanctum. Quod ostendit, dicẽs, Quò ibo à spiritu tuo? Si ergò Deus omnia replet, idq; per spiritum sanctũ, Deus certè spiritus sanctus est, & non creatura.

Cyrillus.

Fulgentius. Item Fulgentius ad Donatum de Fide Orthodoxa, Spiritus ergò sanctus, sicut omnia creauit, sic omnia replet immensus: & quia omnia replet, naturaliter est uerus Deus. Scriptum est enim: Quia spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Nam et beatus Dauid ubiq; esse spiritum Dei testatur, dicens ipse de eo: Quò ibo à spiritu tuo? aut à facie tua quò fugiam? &c. Iam quatuor uel quinq; demonstraui testibus, nõ esse creaturæ adscribendum ut sit ubiq;. PAN. Id ultrò dabo, si creatura ex ui sua et propria potestate consyderetur. ORO. Hæc exceptio si alicuius esset ponderis, nihil planè aduersus hæreticos ij Patres cõfecissent. Spiritum quippe sanctum & illi fassi essent, non propria ui ac sua potestate in multis locis esse, uerùm Dei potẽtia et uirtute. At nõ ita Patres id intellexerunt, q; in sua ratione sumebãt, nec hæreticis, alioqui satis acutis in mentẽ uenit, ut hac stropha suam causam tuerẽtur.

PAN. Si uitiosum aut inualidum uideatur quod modò respondi, rem aliter expendas, Humanitatem Christi non esse uulgarem & simplicem creatu-

Humanitas Chri[illegible] non vulgaris seu simplex [illegible] sed hypostatica [illegible] conjuncta cum divinitate.

creaturam, sed hypostatica unione coniunctam cum diuinitate. Quare illi iure attribuitur ut sit ubique, quod ulli alij creaturæ non potest dari. ORO. Vbi nunc est illa Dei omnipotentia quam tam libere ac citra ullam exceptionem perpetuò crepatis? Certe constrahitur, si cæteris creaturis dari per illam non potest, ut sint ubique. Sed hoc mitto. Et ut de huius responsi posterioris propugnaculo te deijciam, Tantum abesse affirmo, ut hypostatica unio det humanitati Christi ubiquitatẽ, ut Cyrillus, quo tu familiari teste uteris, in dialogo de trinitate lib. 2. Tomo 1. folio 245. ita scripserit, Nam si uere sectionem & partitionem diuina natura (ut illi dicunt) reciperet, intelligeretur & corpus. Si autem hoc & in loco omnino, & in magnitudine & quantitate, & si quanta facta esset, non effugeret circumscriptionem, &c. Hæc Pantache prorsus demonstrant corpus Christi esse omnino in loco, atque id circumscriptiue, cùm sectionem & partitionem recipiat, distincta membra, & lineamentorum partitiones habens. Cumq; certo loco sit circumscriptum, nequaquam potest esse ubique. Ipsa quippe diuinitas, Cyrillo teste, si esset huiusmodi, prorsus circumscriberetur, & suo quodam esset loco. Vnde Theodoretus Dialogo 2. ait, Igitur Corpus dominicum surrexit quidem à corruptione & interitu alienum & impatibile & immortale, & diuina gloria glorificatum, & à cœlestibus adoratur potestatibus: corpus tamen est, & habet quam prius habuit circumscriptionem, &c. Et mox: Ego quidem non dixerim, humanis rationibus persuasus, nec sum usque

hypostatica unio non dat humanitati Christi ubiquitatẽ.

Cyrillus.

Theodoretus.

Verba satis perspicua.

Ne adeò audax & temerarius, ut dicam aliquid quod sacra scriptura silentio præterijt. Sed tamen audiui D. Paulum clamantem, Statuit Deus diem in quo iudicaturus est in iustitia orbem terrarum in uiro quem præfinijt, fidem præbens omnibus, suscitans è mortuis seipsum. Didici etiam à sanctis angelis, quod ueniet eo modo, quo uiderunt ipsum discipuli euntem in cœlum. Viderunt autem naturam circumscriptam, non eam quæ circumscribi non potest. Audiui autem etiam Dominum dicentem: Videbitis Filium hominis uenientẽ in nubibus cœli. Scio uerò esse circumscriptum quod uidetur ab hominibus. Videri enim non potest natura quæ non potest circumscribi. Dominum quoque dicentem audi, Videbitis Filium hominis uenientem in nubibus cœli. Porrò autem & sedere in throno gloriæ, & statuere quidem agnos à dextris, hœdos uerò à sinistris, id quod circumscriptum est significat, &c. Et mox: Illud enim corpus habet priorem quidem formam & figuram, & circumscriptionem, & ut sendicam, corporis substantiã, &c. Adhæc idem Theodoretus Dial. 3. Atqui post resurrectionem uisum est circumscriptum, & habens manus & pedes & alias corporis partes, & tangi poterat, & sub aspectum cadebat, uulneraq; & cicatrices habebat, sicut ante resurrectionem. Duorum ergo alterum dicere necesse est, uel diuinæ etiam naturæ esse has partes tributas, siquidem corpus in diuinitatis naturam conuersum has partes habuit: uel fateri corpus manssisse in suæ naturæ finibus. Atqui natura diuina simplex est & incomposita, corpus aũt compositum & in multas partes diuisum.

tes diuisum. Non est ergo mutatum in naturam diuinitatis, sed post resurrectionem quidem est & immortale & à corruptione & interitu alienum, diuina gloria plenum, sed tamen corpus quod habet propriam circumscriptionem. Et mox: Beatus autem Stephanus dicit se uidisse Dominum. Corpus ergo Domini etiam post ascensionem corpus est. Id enim uidit insignis uictor Stephanus: quandoquidem diuina natura cerni nequit. Quo circa desistas aliquando unionem hypostaticam nobis obijcere, ac ex allatis patrum dictis collige oportere corpus omnino esse in loco. Nec uos decet istud firmum & receptum fundamentum ad constabilienda uestra somnia concutere. Iam (ut arbitror) constat, nos quo ad hanc sententiam non esse Aristotelis mancipia, sed ea retinere quæ sunt ecclesiæ ac patrum dictis consentanea.

PAN. Etiam si millies iusseris, non desinam sententiam nostram ratione hypostaticæ unionis confirmare: quam talem esse non potestis negare, ut duæ naturæ in Christo, non duas utique, sed unam personam constituant. ORO. Istam unionem, ut fideles & Orthodoxi, prorsus recipimus. Non diuidimus naturas, ut Nestorius: Nec rursus, quemadmodum Eutyches, illas confundimus. Vna est persona Christus, qui tamen duas naturas in hypostasi eadem secum habet communes: integris tamen ac saluis utriusque illarum proprietatibus. Quare non est necesse testimonia uel Patrum uel Conciliorum producere, ut id tanquam nobis ignotum, aut non confessum probetur. Gratia quippe Dei omnes ecclesiæ nostræ, non tantum

recipiunt diuinas literas, uerum etiam tria symbola, id est, Apostolicum, Nicænum, & Athanasij, nec non sex prima Concilia, quatenus de beatißima trinitate, de persona filij Dei, ac duabus eius naturis, nec non de salute per illum nobis parta definierunt. Etenim quidquid hisce de rebus in eis est constitutum, diuinis oraculis esse consentaneum animaduertimus. PAN. Etsi quoquomodo assentimini cõmemoratis articulis, non tamen ea nobiscum quæ inde consequuntur fateri uultis. Nempe, ut cũ deitas & humanitas indiuulse ac inseparabiliter in una persona Christi coniungantur, esse consectarium, ut ubicunque fuerit deitas, ibi etiam sit humanitas Christi, cùm fieri non poßit, ut Christus una persona maneat, nisi eius duæ naturæ sic unitæ seruentur, ut altera nusquam sit absque altera. ORO. Ista nos idcirco repudiamus, quòd ex ijs quæ posita sunt & de quibus inter nos consentimus, nequaquam uerè consequantur. In uestra porrò argumentatione paralogismus admittitur ὁμωνυμίαν, qui nostri uocant æquiuocationis, quia duarum naturarum unionem in Christo uos ita factam accipitis, quasi tota natura diuina conclusa fuerit in humana, uel humana tam sit ampliata & dilatata quàm diuina, ut nimirum utraque natura æque late pateat. Ac si statuatur secus, iudicatis iam non unam, sed duas personas asseri. Talem uos facitis duarum naturarum in Christo coniunctionem. Quod profecto ab Eutychetis errore non procul abest, qui proprietates & naturas in Christo ita confundebat & miscebat, ut non duæ naturæ ab eo, sed una tantùm constitueretur.

Nos

Deitas & humanitas inseparabiliter in una persona Christi coniungunt, & ubi est Deitas, ibi est humanitas

Eutychetis dogma

Nos uerò longe aliter duarum naturarum unionem fa
ctam in Christo docemus, nempe humanitatem hypo-
stasi diuinæ tam indiuulsè adhærere, ut ab ea nullo mo
do amplius queat diuidi. Et sanè humanitas Christi
nusquam esse potest, quin diuinitati sit copulata, cum
tamen illam intra suos breues terminos minimè coar-
ctet, nec se tam amplificet, ut omnia loca in quibus fue
rit diuinitas compleat. Proinde à uobis non accipitur
eadem ratione hypostatica unio atque à nobis intelli-
gatur. Et ex hac diuersitate uester nascitur error,
quia inter duas naturas tantam coniunctionem fingi-
tis, ut & ipsarum, & proprietatum illarum confusio
à uobis nequeat euitari. Deinde Indiuulsè ac Insepara
biliter, non interpretamini quemadmodum oportet.
Existimatis quippe fieri personæ dilacerationem, si di
uinitas esse constituatur, ubi humanitas præsens non
adsit. Quod minimè uerum est: quia sufficit deitatem,
quamuis immensam & infinitam, sua hypostasi fulci-
re ac substentare humanitatem, ubicunque illa fuerit.
Vnde licet corpus Christi sit in cœlis, nec amplius ue-
setur in terris, nihilominus tamen filius dei cu[illegible]
ecclesia, & tandem ubique, nunquam sic est expers
humanæ naturæ, quin eam in loco ubi ipsa est habeat
insitam sibi, & in unitate personæ coniunctam.

PAN. Vah, quæ narras, obscura, nec non tene-
bricosa omnino uidetur, ne dixerim absurda. ORO.
Quasi uestra non sint cæca, & adeò confusa, ut ne co-
gitari quidem possint, nedum intelligi. Nemo unquam
(quod ego sciam) uel finxit, uel docuit, ex hypostatica
unione confici, corpus Christi esse ubiq;. Attamen si

mea parum clara tibi uidentur, ea non grauabor quibusdam similibus illustrare. Quod etiam uos facitis, quando nitimini uestram ubiquitatem utcunq; patefacere. Attamen prius te admonitum uolo, ut si quæ afferam præsenti causæ per omnia minimè congruant, ne commouearis. Quia similia, si quo ad omnes partes conuenirent cum simili, iam cum eo eadem iudicarentur, non similia. Et sanè uestra ut sint ad hanc rem accommodata, postea suo loco dicam. Nunc mihi spectes arborem, ubi cernes in eodem subiecto continuo, nequaquam diuiso & lacerato, radicem, truncum, & ramos: neq; tamen oportet ut radix, ubicũq; arbor est, inueniatur, quoniam arboris natura & in trunco est, & in ramis, cũ tamen radix non sit, uel ubi est trũcus, uel ubi sunt rami. PAN. Animaduertas oro, arborem non esse personam, sed tantùm physicum subiectum. ORO. Verum sanè id est: attamen ex ea cognoscitur unitatem non diuidi ex diuerso partium loco. Cæterum ut res adhuc magis perspicua euadat, contemplemur humanum corpus. Id certè unum est, nec eius partes diuersam hypostasim habent; nec tamen est necesse ut ubi est caput ibi sint pedes, nec ubi sunt pedes ibi sit cor. Vnio igitur in eadem hypostasi diuersitate locorum non tollitur. Caput etiam ultra si nestram extensum, quamuis locum alium occupat à reliquo corpore, non tamen inde abiungitur, & corpus reliquum, quod domi continetur, capite sibi coniunctio minimè caret, licet illud in diuerso loco habeat. Deinde uideto mihi Planetarum orbes. Quisq; illorum affixum sibi habet indiuulse astrum, (Nũquam enim ab

Similia.

Simile apposimum

orbe

orbe suo stella separatur.) Nec tamen ob id asseremus astrum esse ubicunq; suus orbis fuerit: nam stellæ suis horis occidunt, cùm tamen circiter dimidium orbis eorum sit semper in nostro hemisphærio. Iã te agnoscere puto unionem totius haudquaquam subuerti, quamuis una pars latius altera pateat. PAN. Quæ affers corporea sunt: at Christi diuinitas res est omnino spiritualis. ORO. Fateor: sed quæ retuli, negari nõ potest, quin demonstrent rei unitatem atque coniunctionem, interueniente spaciorum distantia, minimè interire. Quod si dare oportet in rebus physicis, creatis, & corporeis, quanto magis ubi diuina est hypostasis & natura? Quare nos diuinis literis credimus, quæ Domino proprium locum quo ad corpus aßignant, et naturam diuinam esse ubiq; prædicant. PAN. Vt ex tuis dictis colligo, non potest negari, quin Christi diuinitatem alicubi esse ponatis absque humanitate. ORO. Nequaquam. Licet enim diuinitas ubiq; sit, ob eius immensitatẽ, semper habet coniunctam sibi humanitatẽ, non tamen præsentem omnibus ijs locis quæ ipsa implet. Itaq; nostra sententia est, Deum Verbum implere omnia, Humanitatem uerò ei unitam hypostaticè loco suo contineri. PAN. Cum statuatis naturam diuinam in aere, in mari, & in terris, ubi non uultis humanitatem præsentem esse, de uobis cognoscere uelim, cùm extra naturam humanam (ut uultis) latius extendatur, an ibi quoq; suam hypostasim habeat? Id non existimo negabitis, quia citra hypostasim non subsisteret. Fiet itaq; ut unam illi demus hypostasim, ubi naturam humanam secum habet coniunctam,

Distãtia locorum non abrumpit unitatem.

Argum. fragile.

Nota

et unam item, ubi extra eam per alia loca diffunditur atq; hoc pacto non euitabitis quin hypostases & personas congeminetis. Id porrò est quod à nobis accusamini diuisionis personæ. ORO. Hic est, hic inquam nodus, & fundamentum uestri erroris. Non potatis constare posse unitatem personæ, si naturæ coniunctæ non adæquentur. Nos uerò unam profectò facimus hypostasim, & in ea quàm arctissimè duas naturas coniungimus, uerùm utrãq; illarum pro suo modo & amplitudine. Diuina siquidè natura ibi est ac subsistit, cum diffusione atq; complemento locorum omniũ: Humana itidem ibi subsistentatur, sed pro suæ creationis finibus ac terminis. Quocirca satis apparet unã personam à nobis poni duarum naturarum, quarum utrãq; [illegible] est necesse per omnia spacia locorum praesentem esse. Quodam simili quod dixi perspicuum faciam. Do[illegible]di gratia statuamus truncum arboris esse hypostasim, qua gemini rami subsistẽtentur, eorum uerò alter sit amplissimus & se per magna loci spacia dilatet, alter uerò sit multò minor atq; contractior, & idcirco parum loci occupet. Hæc diuersitas contractionis ac diductionis ramorum, non efficit quin coniungantur eodẽ fulcro atq; subiecto. PAN. Hæc nimis crassa & humilia sunt, collata cum hypostatica unione duarum naturarũ in Christo. ORO. Non inficior esse multò inferiora mysterio incarnationis Domini. Tamen argumentum (ut loquitur dialectica) à minori concludo. Si ob diuersitatem amplitudinum morum, unio minimè soluitur, longè minus ibi dissolvitur, ubi unitas multò est arctior. Vos planè hypos-

Fundamentum erroris Ubiquitariorum.

Simile.

tica unione abuti uidemini quàm audaciſſimè, ac plus multò quàm ipſa res ferat, & quàm ſcripturæ ac ipſi Patres loquantur. Abutebatur Neſtorius plus æquo naturarum diſtinctione, quam exiſtimauit in Chriſto tantam fuiſſe, ut beatam uirginem dixerit ſolùm hominem peperiſſe, & naturam diuinam in eo tanquam in domicilio quodam reſediſſe. Proinde naturas adeò à ſe inuicem diſcreuit, ut duas perſonas ex eis fecerit. Neſtorij error.

Eutyches uerò è diuerſo abuſus eſt unitate, quam adeò conglutinatam & intimam finxit, ut poſt incarnationem ſolùm naturam unam in Chriſto agnouerit. Inter hanc Scyllam, & eam Charybdim prudenter eſt nauigandum, hoc eſt, Vnitas perſonæ ſic eſt retinenda, ut naturarũ proprietates maneant diſtinctæ, non permixtæ, neq; confuſæ. PAN. Nos etiã ſcimus perſonã Chriſti aliud ex diuina aliud ex humana natura operari: Nihilominus tamẽ hæ duæ naturæ, quantum cũq; diuerſas habeãt proprietates et operationes, perpetuò ſunt in una Chriſti perſona ita cõiunctæ et unitæ, ut nunquã ſeparari queãt. ORO. Accipio quod datur, & ad ea quæ conſequuntur animum intendo. Si hæ duæ naturæ in perſona Chriſti unitæ, citra ullam diſſolutionem aliquas diuerſas habent proprietates, quæ ſic uni congruant, ut alteri conuenire nequeant: (Etenim Increatum eſſe ita eſt Diuinitatis, ut nequeat Humanitati adſcribi. Aequalitas item cum patre, ſic Deo filio aſſignatur, ut eius Humanitati, qua minor patre dicitur, nequaquã conueniat.) Quî fit ut eſſe ubiq; non uelitis ita eſſe proprium deitatis, ut humanitati non detur, quòd ſit eius unitate perſonæ incolumi, oc-

cupare certum locum, iuxta neceſsitatem omnibus corporibus impoſitam? Cur dicitis perpetuò id eſſe unitatem perſonæ ſoluere ac diuidere, cùm ſaluam maneat unitas, dum naturæ humanæ, proprietates diuinæ, quas modò recenſui, non tribuuntur? Verùm aliud adducam, cuius Vigilius me ſubmonuit lib. 4. contra Eutychen, ubi ſcripſit: Paulus duo quædam eſſe dixit in uno homine, uicißim quæ ſua ſunt propria operantia, & contra ſe inuicem nitentia, Spiritum ſcilicet et, Carnem. Hæc, inquit, ſibi inuicem aduerſantur. Sicut ergo unus eſt homo, in quo ſunt duo quædam in ſe inuicem permanentia, & ſua quæque propria operantia, nec poteſt alius dici, dum ſecundum carnem ſapit & facit, & alius dum ſecundum ſpiritum uiuit, ſed idem eſſe eſt in utroque, habens in ſe utrunque: Ita Chriſtus, &c. Hic proprietas appetendi meliora carni minime cõmunicatur, nec ſpiritui tribuitur, ut in peccata uim ſuam intendat, nec tamen ea de cauſa ſoluitur illarum duarum naturarum unio, ſed manet idem homo, eadem hypoſtaſis, & eadem perſona. Quid plus habet ueſtra ubiquitas, ut ſi diuinitati ſolũ adſcribatur, & non humanitati, unio diſſolua-

Vigilius.

PAN. Si à nobis primis hæc dicerentur, non facile ſuſpicionibus fortaſſe liberaremur. Verùm cùm nos Gelaſius ita ſcripſit: Et quod dictu auditúque horrendum eſt, uel homo Deus eſſe iam deſinat, ſi quidem illic humanitas, non etiam deitas perſeuerat, uel Deus homo conſequenter eſſe deſiſtat, ſi ſola illic diuinitas non etiam humanitas unita permaneat. Hæc Gelaſius. Qua itaque fronte audetis dicere Perſonam Chriſti

Gelaſius.

non habere ubique sibi humanitatem adiunctam?

ORO. Ista ut Nestorio uel Eutychi rectè conueniant, certe in nos minime quadrant. Non enim uel diuinitatem Christi ab illius humanitate abiunctam, uel humanitatem absque diuinitate prædicamus. Nam ubicunque fuerit natura Christi humana, semper in diuina persona gestatur & subsistetur: Nec usquam est uerbum Dei, quin idem sibi coniunctam habeat humanitatem, licet non præsentem quoad omnia loca quæ complet. Neq; apud Gelasium aduerbium ILLIC est loci. Sed ipsum Christum demonstrat, in quo uerè ac Orthodoxè ait, non solam humanitatem nec solam deitatem esse ponendam: atque id est quod auditu dictuq; fugiendum esse scribit. Nec sanè quò ad loca dictum eum posset recipi. Quis enim ferat ipsam diuinitatem omni amplitudine sua, quæ infinita est, conclusam fuisse in uagientis infantuli corpusculo? Deus quippe neq; comprehendi, neq; circumscribi potest: quare in carne atq; anima Christi minime clauditur. Et sanè Athanasius ex Oratione de fide maiore, apud Theodoretum in Dialogo 2. pag. 4. ita scribit: Sede à dextris meis. Hæc de corpore dominico dicta sunt. Si enim cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus, ut inquit Hieremias: omnia autem continet Deus, à nullo autem continetur: in quánam sedet sede? Corpus ergo est cui dicit, Sede à dextris meis, &c. Hinc liquidò apparet, diuinitatem non finiri humano corpore, quòd omnia impleat. Quare si corpus itidem omnia impleret, de illo quoq; rogarem, qua sede sedebit?

Explicatio Gelasij locus.

PAN. Attamen ibidem Gelasius ait, Totus Deus

homo, & totus homo Deus, &c. Et, Quicquid est humanitatis, Deus homo suũ fecit. Et quicquid est Dei, homo Deus habeat, ut hoc permaneat sacramẽtũ, nec poßit ex aliqua parte dissolui. Sic totus homo ꝑmanet esse quod Deus est, ut totus Deus permaneat esse, quicquid est homo. Si aliquid (quod absit) uel humanitatis uel diuinitatis inde decesserit, sequetur ineffabilis resolutio sacramenti, &c. In uerbis huius Patris tuũ est Orothetes perspicuè aperire, quomodo totus Deus sit homo, si alicubi (ut dicis) est Deus ubi non sit homo: præterea interpretari quo pacto totus Deus permaneat esse, quicquid est homo: & quemadmodũ non decedat inde aliquid diuinitatis, si ea est alicubi (ut uis) nec ibi præsens ei adest humanitas. Humanitati quippe decedet totũ id diuinitatis quod extra eam fuerit.

ORO. Prudentißimè interrogas Pantache. Quæstio quippe nostra nunquam recte patefiet, nisi hæc tria discutiantur. Nunc ad primum aggredior, quo interrogas quomodo totus Deus sit homo. Sed priusquam id expediam, paucis demonstrabo, cur totus homo dicatur Deus: nam hoc reddito plano ac perspicuo, alterum etiam facile patefiet.

Cur totus homo dicatur Deus.

Quidam Hæretici putarunt in incarnatione filij Dei, non hominis animum, sed tantùm corpus fuisse assumptum: uel si animum dederunt à Verbo Dei acceptum, id non concesserunt quo ad rationalem facultatem, ita ut in Christo tantùm unam uoluntatem constituerint, quasi Verbum animi seu rationis nisi in Christo fuerit. Fuerunt item alij qui tradiderint filium Dei non uerum hominem ueramq; carnem & corpus

corpus assumpsisse, sed tantùm harum rerum speciem. Verùm omnia hæc mendacia sunt hæreticorum. Nec aliò spectat quod à Gelasio ponitur, Totus homo Deus, quàm ut intelligamus nihil esse integritatis humanæ naturæ, quod uerbum Dei non assumpserit. Propterea in Christo uicissim Deus totus est homo, quia essentia & natura Dei, perfecta est & absoluta in Christo, quemadmodum in singulis hominibus. In Aristide inquam, Alcibiade, Catone, Tullio tota essentia uel natura humana esse dicitur: nihil enim deest eis quod ad genus, differentiam, & definitionem hominis pertineat: utq; totus homo est Cato, & totus homo est Aristides, ita totus Deus est homo in Christo. Nõ enim is Deus est fictus, nuncupatiuus, aut mutilus, neq; partiri potest, cùm sit indiuisibilis. Et tamen cùm hoc pacto res habeat, non inde consequitur, totum id quod est Deus esse in Christo cõiunctum eadem hypostasi cum humana natura: quoniam & pater & spiritus sanctus est Deus, quarum personarum neutra carnem suscepit. Neq; habetur ex illa sententia rectè intellecta, Verbum, id est secundam personã diuinam, ita conclusam in humanitate, ut ea certo quodam loco existente, Verbum quod est infinitum non sit ubiq;. Id autem homini congruere non potest, cùm sit creatura & corpus, quorum neutri ut sit infinitum potest ascribi. Quin et ipsæ literæ diuinæ Christi corpus infinitum esse nusquã tradiderunt. Principia uerò naturæ concellenda nõ sunt, nisi testimonio sacrorum & oraculorum eò adigamur. Quod etiam cùm usu uenit, non ulterius progrediendum est, quàm nos deducant

Quomodo totus Deus sit homo in Christo.

Principia naturæ quæ do concellenda & quo usq.

sacra testimonia: quia ratiocinijs & (ut ita dixerim) consequentijs, eò facile ueniremus, ut non decreta orthodoxæ fidei, sed inuenta humanæ rationis confirmare aggrederemur. Iam habes quomodo totum Deum hominē esse in Christo agnoscamus. PAN. Quid uelis abunde satis intelligo, sed hanc interpretationem perinuitus audio. ORO. Quid tu? PAN. In præsentia non dicam.

Quo pacto totus Deus permaneat esse quicquid est homo.

ORO. Proinde quando nihil interpellas, ad alterius dicti Gelasij explicationem accedo. Rogabar secundo loco, qua ratione totus Deus, permaneat esse quicquid est homo. Hic non multis te detinebo. Quicquid est homo, nimirum in Christo (de homine quippe agitur Iesu Nazareno) id totum assumptum fuit à Deo eoq; toto, id est non ficto, sed absoluto, non mutilato: Nec tamen totus Deus ita se in homine illo conclusit, quin extra eum alibi sit. Adiecit præterea Gelasius ipsum in eo permanere, ut nos commonefaceret illam unionem nunquam desituram, ut quæ nec per mortem rescissa fuerit. Quod enim filius Dei assumpsit per hypostaticam unionem, nunquam à se dimisit. Iam tertium dictum restat declarandum, nisi contra ea quæ allata sunt libeat aliquid interponere. PAN. Et si non probo quæ dicis, per me tibi licet pergere ut occœpisti.

Quomodo nihil diuinitatis decedat de Christo, si ea sit alicubi, ubi non adest ei humanitas.

ORO. Id obscurum uidebatur & satis difficile intellectu, De Christo nil diuinitatis decedere, si diuinitas alicubi est, ubi non sit humanitas. Verùm id expendendum est, à Gelasio non asseri æque late patere in Christo utranque naturam: sed cauendum ostendit,

ne quid à Christo humanitatis uel diuinitatis decedat. Porrò de humanitate non est controuersia: nemo quippe nostrum inficiatur à filio Dei totum hominem fuisse assumptum. Demonstretur nunc abs te, quid ex diuinitate Verbi Christo detrahamus. Certe nos illud perfectum & absolutum in Christo confitemur. Et fateor cum Gelasio, Quicquid est Dei, Deum hominem habere, quia humanitati Christi, Dei essentia sen natura tota, integra, & perfecta est unita. An quia dicimus Verbum esse ubiq;, nec id humanitati uolumus attribuere, ob id sacramentum incarnationis resoluimus? Nihil minus. Vnionem quippe duarum naturarum non tantùm credimus perpetuò manſuram, ſed Neſtorio eam diuidenti nos acerrimos hoſtes profitemur. Sed ibi noſtra fallitur imaginatio, quòd apud uos conſtituitis non poſſe unionem permanere, ſi diuinitas ubique ſit, humanitas uerò ſua propria loca occupet. Quaſi gemma (ut antea dicebam) non ſit anulo coniuncta, quamuis non eſt ut anulus in interiori parte digiti.

PAN. Hîc me tenere non poſſum, quin regeram non eſſe conſimilem unionem gemmæ ac anuli, & diuinitatis Chriſti cum humanitate. ORO. Non diffiteor eſſe diſcrimen, & id potiſſimum inter alia, quòd gemma interdum ab anulo euellitur, & anulus à gemma ſeponitur, quod ab unione duarum naturarum Chriſti maximè abhorret. Deinde tam anulus quàm gemma ſunt res corporeæ, cùm Verbum Dei ſit omnino ſpiritus. Hoc tamen ſimili utcunq; demonſtratur, cùm duo inter ſeſe iuncta fuerint, non eſſe neceſſe ad id

lorum unionem conseruandam, ut unũ tam latè quàm alterum pateat. Vnde colligitur, diuinitatem Christi, quamuis est ubiq; humanitatem quæ in cœlis est, nequaquam à se depellere, nec excutere, ita ut à se inuicem diuidantur. Id enim fieri nullo modo potest, cùm illam in sua hypostasi hærentem & infixam semper habeat. Quo circa uerba Gelasij quæ tecum facere tanta confidentia dicebas, modò rectè intelligantur, nostram sententiam haudquaquam labefactant, sed cum ea pulcherrime congruunt.

PAN. Mihi nunquam excuties hoc Gelasij firmißimum testimonium. Id nobis constat, & est murus æneus, Quæcunq; unita sunt inseparabiliter, ubicunq; unum est, & reliquũ esse oportere, nec ullum esse locum, aut locorum spacium, quod ea poßit separare.

ORO. Tibi per me hoc dogma sit firmum & saluum, quo ad eius posteriorẽ partem, qua dicitur, Nullum esse locum, aut locorũ spacium, quòd ea poßit separare, quæ inter sese unita fuerint: quia licet diuinitas propter suã immensitatem ubiq; sit, non tamen humanitas ab ea diuellitur, etsi non fuerit in omnibus locis quæ ab ea implentur. Corpus quippe humanum (ut antea dicebam) semper habet sibi coniunctum caput, quamdiu corpus humanum est: non tamen caput ita latè patet, quemadmodũ corpus. Nec propterea quisquam est adeò insanus, ut ideò corpus hominis dicat à capite separatum, quòd caput minus loci, quàm totum corpus occupet.

Simile.

PAN. Non est dandus locus Geometricis speculationibus de ampliori excessu et maiori ambitu. Nec

unius

unius immensitas, et alterius dimensitas hanc admirabilem dissolvere possunt unitatem. ORO. Nostræ cogitationes Pantachæ minimè sunt Mathematicæ. Nō enim à materia physica magnitudines ratione separamus, ita ut lineam absq; terminis imaginemur: neq; divisiones continui accessionesq;, seu multiplicationes numerorum sine fine mente agitamus. Verùm quod pios Theologos decet, & sanctos Christi fideles, id quod Iohannes dixit, Verbum esse factum carnem, id est uerum hominem, constanter credimus, eumq; hominem omni Dei Maiestate ornatū fatemur, sed quantum eius conditio ex natura ferre potest. Alioquin ad naturam & Maiestatem Dei pertinet ut sit infinita: quod humano corpori quis dederit? Nullus profectò, nisi qui totum ipsum uelit dissipatum, & in spiritum diuinum prorsus conuersum. Id certò scio, in scripturis nusquam legi corpus Christi esse immensum. Nec ex Patribus ullus, quantum ipse legerim, id unquam affirmauit. Deinde Maiestatis ac naturæ diuinæ id est, ut initio semper caruerit, et ante omnem æternitatem absq; principio fuerit, quod ad naturā humanam, cùm sit creatura, nequaquam potest accōmodari. Ideò cùm perpetuò iactetis humanitatē Christi omni Maiestate Dei esse ornatam, correctionem adieci, dicēdo, Quantum eius fert natura: quæ si minimè fert ut spiritus diuinus fiat, nec etiam patitur ut sit immensa, cùm dari non possit immensum corpus. Nam oportet uelis nolis, ut lōgitudine, latitudine ac altitudine terminetur: non enim re ipsa poterit aliter extare. Quare imaginationibus in Christi natura humana (ut nos facitis)

Christi humanitas affirmata omni maiestate Dei.

non est indulgendum. Quod posteà ingerebas de maiori excessu uel ambitu, me fortasse premeret, si naturæ Dei, molē magnitudinemue corporum affigerem. At cùm fatear diuinitatem spiritualem esse, nec nō infinitam, omni liberor opinionis praue suspicione. Vicissim autem dando humanitati Christi locum, eamq; prædicando finitam & terminatam, neq; à diuinis literis, neq; à iusta sanaq; ratione discedo.

Personæ definitio.

PAN. Quo res dilucidior fiat, personæ definitionem producam, quæ ita circumfertur, Persona est indiuidua substantiæ rationalis naturæ. Quòd si est indiuidua, quomodo diuinitas Christi non habet secum humanitatem ubiubi fuerit? ORO. Personæ definitionem recipio, neq; me latet eam contra illos fuisse, qui Nestorio adhærentes duas hypostases in Domino confinxerunt. Illos confutat allata definitio: sententiam uerò meam nulla ex parte labefactat, cùm personæ unitatem orthodoxè retineam, et profitear Deū esse impartibilem. Sed admonebo te personam indiuiduam dici, quòd non instar speciei & generis in singularia diuidatur: nam infra personam diuidendo non licet descendere, quemadmodum speciem & genus in singula solemus diducere. Sed inde consequēs esse pernegamus, naturam humanam quæ illa hypostasi gestitur, eiusdem cum ea esse amplitudinis. Neq; repugnabo quo ad hypostaticam unitatē duarum naturarum non esse humanam rationem consulendam: quia inter conditas res nihil absolutè ad illud exemplū exstat. Credimus item (quemadmodū antea testabar) Verbum factū esse carnem, & duas naturas esse in Christo

Quomodo persona dicatur individua.

insepa-

inseparabili coniunctione unitas. Iis de rebus non altercamur: communia haec sunt inter nos principia. De connexione tantummodo laboratur. Nam dogmatis illis & salutis & firmis, humanitati proprius locus & circumscriptio à nobis assignatur: diuinitati autem (ut par est) immensitas attribuitur. Vos autem dum constituitis memoratas utriusque naturæ proprietates confundi, non potestis euadere quin duo simul infinita profiteamini. PAN. Nequaquam. Bona uerba. Dum enim Christi humanitatem ubique, id est, in omnibus locis ponimus, non est necesse ut sit infinita, quandoquidem loca & mundus, quo loca omnia definiuntur, non sunt infinita. ORO. Miror te ita respondere, perinde ac si naturæ diuinæ immensitas finibus orbis clauderetur. Id autem nullo pacto est recipiendum. Nam quod immensum est, nullis utique terminis claditur. Quocirca si ad hunc modum hypostatica unione abutamini, coniunctionem humanæ naturæ cum diuina sic interpretando, ut inde concludatis etiam humanitatẽ esse ubiq; simul etiam conficietur eam infinitam esse: non enim minus ubiquitatem quàm immensitatem ad eam transfunditis. Quid attinet hîc inter ubiquitatem & immensitatem distingue re, si citra exceptionem humanitatem Christi omni Maiestate diuinitatis ornatam esse multis? Certè natura diuina & infinita est, & ubique. Idcirco ex uestro decreto, tam immensitas quàm ubiquitas, naturæ quoque humanæ adscribenda erunt, & pro uno duo habebimus infinita.

PAN. At non potest infiniti ratio conuenire u-

Nazianzenus.

mnibus modis naturæ humanæ, quia teste Naziãzeno τὸ ἄπειρον κατά τε ἀρχὴν καὶ τέλος dicitur, τὸ γὰρ ὑπὲρ ταῦτα καὶ μὲν ἐν τούτοις, ἄπειρον. Quare etsi humanitas Christi nunc post unionem, est ubicunque fuerit deitas eius, tamen non idcirco caret initio temporis, ut deitas: ideoq; nõ est hac in parte infinita. ORO. Igitur duas Christi naturas quoad amplitudinem & latitudinem adæquas, non autem quo ad spacium temporis & durationis. Vna siquidem aliquando cœpit, altera uerò nullum temporis initium habuit, & idcircò naturam humanam infinitam non esse affirmas, quòd aliquando esse cœperit. Hæc omnino sunt ἀπροσδιόνυσα, cùm hic non de tempore, uerùm de locorum occupatione agatur. At cum ista de te audio, mihi uideris plusquàm uera narrare. Nonne hic quoque uestra illa omnipotentia locum habere potuit? ut sicut ubiquitatem homini Christo communicauit, ita etiam illi temporis initij priuationem tribuerit? PAN. Sed scripturæ sanctæ in tempore natum esse testantur. ORO. Quasi non doceant identidem illum in cœlum ascendisse: ac dum erat in mundo, unionem habens hypostaticam duarum naturarum, se de uno loco ad alterum contulisse: atque cùm puer esset, statura creuisse. Id autem contingere non potuit, si fuisset ubique. Quò enim eundo se commouisset? uel quo suam staturam auxisset? Scio uos respondere quadam œconomia hæc esse facta, cur etiam de natiuitate istud idem non commini scimini? Et cùm aliqua sint quæ fieri non poßint (ut ostensum est) uel diuina potentia, non quidem ex eius defectu, sed ob rerum ipsarum naturam, cur illud argumen-

Ἀπροσδιόνυσα nihil ad rem facientia.

gumentum à diuina potentia ductum ubique tanquam inuictum inculcatis? Dumq; obstrepuerit nobis quispiam, dicendo non posse fieri ut natura humana ortum ex uirgine habuerit, & ab initio uel ante omnem æternitatem semper fuerit, quare non reditis ad uestrum crocismum, non esse in ijs rebus humanæ rationi aut sensui credendum, & œconomia quadam id esse factum, nec inde firmum certumq; argumentum colligi, quo probetur naturam humanam Christi non fuisse ante omnem æternitatem? Denique (ut quod est dicam) uidemini constituisse in uestra manu, quasnam proprietates diuinas ad Christi humanitatem uelitis transfundi, quasue illi uelitis adimi. Æternitatem illi non cõmunicatis, neq; ut ea Christus sit æqualis patri. Subtrahitis etiam ei opus creationis uniuersorum. Nec multum de alijs proprietatibus litigatis. De ista tantummodo ubiquitate certamen acerrimum suscepistis. Neque de illa (ut mihi persuadeo) nisi contentio Sacramentaria incurrisset, nobiscum uel tria uerba commutassetis. Cæterum hoc misso, ad gemina infinita redeo, quæ cogimini iuxta decretum uestrum fateri, quibus asserendis cum animaduertatis Athanasiano Symbolo uos impediri, quod prohibet ne plures immensi dicantur, sophisticè conamini eius dictum eludere, quòd scilicet Christi humanitatẽ nõ omnibus modis infinitam pronuntietis, cum Athanasius simpliciter dixerit, non esse plures immensos: neque magis de tempore, q̃ de plenitudine seu diffusione sit locutus.

Cur ita de ubiquitate contendãt.

PAN. Tibi summa fide atq; attentione spectandum est, deitatem atq; humanitatem in Christo nõ esse

duas personas, sed unam duntaxat: nec esse duos Christos, sed tantùm unum. Quare tantummodo erit unum infinitum, & unum immensum. ORO. Benè res habet. Vnum infinitum & unum immensum confiteamur. Nihilominus tamen disputandū restat an ista proprietas immensitatis, naturæ humanæ Christi communicetur. Nos id negamus, ne sit eius euersio: uos autem affirmatis, nullo tamē firmo argumento, nulloq; certo ueroq; testimonio. PAN. In eo attamen satis æqui sumus, quòd si non de personæ unitate loquamur, sed de substantiarū diuersitate, aicimus nil prohibere quo minus hoc uni naturæ per se, alteri uerò per accidens conueniat, ut in scholis dialecticorum præceptis traditur. Est enim uulgò iactata sentētia de Christo, Quicquid filio Dei per naturam datur, idem hominis filio per gratiam conuenire. ORO. Si unitas personæ spectetur, eam dabo, qua Deus est, esse ubiq;, sin uerò naturæ cōferamus, quæ in una hypostasi iunctæ sunt, ubiquitatem alteri solum tribuemus, nimirum diuinæ. Humanæ autem per accidens (ut ipse ais) esse attribuendam, non rectè dicitur. Nam quæ sunt per accidēs, ut neq; ad artes neq; ad scientias pertinent, nihil uelis in sententia permanere, composita res est. Possumus discedere: nec rationibus nec argumentis amplius opus erit. Nam quisq; rectè sentiens affirmabit, naturam humanā ei naturæ conungi quæ ubiq; est, nempe diuinitati: quod est per accidens esse ubiq;. Sed inde non elicitur, naturam humanam re ipsa esse ubique. Multis porrò similibus mihi licet hoc illustrare. Nemo ambi-

ambigit corpus humanum animæ coniungi, quæ immortalis est, unde corpus immortale per accidens dici posset: attamen illud reuera esse immortale quis pronunciaret? Sed ne à re proposita discedam, Dices ne in Christo naturã humanam cœlum & terrã creasse? Non arbitror: quia non erat, cũ ab initio illa conderentur. Quia tamen inhæret & substentatur in hypostasi diuina, & coniungitur naturæ diuinæ, quæ creauit cœlum & terram, iuxta tuam sententiam per accidens dici poterit & cœli & terræ conditrix. Verùm in eo quod quærimus non disceptatur quid per accidens possit uel isti uel illi naturæ attribui, sed an corpori Christi esse ubiq; uerè conueniat. Nec, ut uerum, in uniuersum accipio, Quicquid conuenit filio Dei naturæ, filio hominis per gratiã dari. Quia naturæ filij Dei est ut initio careat: quod hominis filio neq; per gratiã, neq; ullo uero & proprio modo potest concedi. Filius item Dei natura sua spiritus est, carens lineamentis & circumscriptione: quod filio hominis per gratiam non potest adscribi.

Refuta hoc per exemp.

An filio hominis per gratiam detur quicquid naturæ conuenit filio Dei.

PAN. Verbum cùm est factum caro, effudit in eam omnem suæ deitatis Maiestatẽ. Nam ad Colossenses Paulus dixit, In ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare. ORO. De me iam audisti Maiestatem diuinam, fuisse in humanitatẽ transfusam, quantum eius conditiones ferre poterant, ne deleretur. Paulus uerò ad Colossenses unionem hypostaticam eleganter expressit, quæ uni Iesu Christo domino nostro contigit, nec tamen inde habetur eandem esse utriusque naturæ amplitudinem.

Locus Pauli ad Colossenses.

PAN. Prius libet explicare quod dixi, Humanitati Christi ut sit ubiq; per accidens conuenire, quàm aggrediar ad alia tractanda. Id sanè uolo accipias, ac si dixissem, alieno beneficio. id est, per gratiam.

ORO. Non muto responsum. Iam te docui multas esse proprietates diuinitatis, quæ naturæ humanæ uel alieno beneficio, uel gratia communicari non possunt, quamuis in ea illa natura inhabitet, quæ per se illis proprietatibus ornatur.

Aliud argm

PAN. Paulus ad Ephesios ait, Deus constituit illum ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum, potestatem, uirtutem et dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, uerùm etiam in futuro. Hoc certè est filium hominis euehere in infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem, & iustitiam. Quòd si filius hominis factus est in his rebus suo modo infinitus & immensus, quomodo filius Dei non euexisset etiam eum ad illam infinitatem, qua omnia tam superà quàm infera cœlesti modo impleret?

Negatur

ORO. Quod Paulus docet admittere nullo modo reformidamus. Verùm quod tu assentis, filiũ hominis, id est, naturã humanam euectã esse ad infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem & iustitiã, non facilè dabo: quia quod finitum ac terminatum est, infinita nõ capit. Sufficit quippe hominem illum assumptum, bona, quæ commemorasti, ultra omnes creaturas quæ uel cogitari uel nominari possunt, esse consequutum. Nec etiam illud auferes, filiũ hominis factum in his rebus infinitum, & immensum: nisi fortasse per id q̃ adiecisti, suo modo, intelligas, quod

inhabi-

habitatorem hypostatica unione illũ habeat, qui re-
uera est infinitus, & sua bona homini assumpto præ
ceteris creaturis communicauit. Neq; tibi cedo illam
naturam sublatam esse ad eam infinitatẽ qua tam su-
pera quàm infera compleat. PAN. Quid tã re-
fugis ista dare, cùm omnino sint consectaria? ORO.
Minimè sunt connexa, imò simul uehementer pu-
gnantia. Nam sese mutuo perimunt. Etenim natura di-
uina si filium hominis assumpsit, is uerè homo est: ac
si homo est, utiq; circumscriptus est: si circũscriptus,
nec immensus, nec infinitus. De re autem prorsus ea-
dem quis uerè dixerit simul eodemq; tempore illam
circumscriptam & non circumscriptam esse, finitam
& non finitam? An ob uestra figmenta, & extortas
interpretationes, necesse habebimus simul & natu-
ram humanam filij Dei perdere, atq; omnis intelli-
gentiæ omniq; notitiæ fundamenta euertere? Quid
ueri nobis tandem constabit, si contradictoria (ut dia-
lectici loquuntur) simul uera fuerint? Sed nolo plura.
Nam ex ijs facilè sentire potes, in quæ absurda te præ
cipites.

Contradictoria non se mutuò tolerant.

PAN. Non ignoro, quæ de Maiestate Christi
ad quam euectus est filius hominis à filio Dei dicun-
tur, uideri humanæ rationi absurdißima, ac planè im-
poßibilia. Sed hypostatica unio diuersarum natura-
rum in persona Christi traditur in sancta scriptura
per spiritum sanctum nobis agnoscenda & credenda.
Et quamuis hæc unio est absurditas absurditatum, ta-
men humanus intellectus necesse habet ei cedere, &
sese in obsequiũ uerbi Dei captiuum reddere. Quare

non est mirandum, si ex una illa & maxima absurditate multæ aliæ sequantur, iuxta humanum intellectum, absurditates. ἑνὸς γὰρ ἀτόπου δοθέντος, τὰ ἄλλα συμβαίνει. Vnde Augustinus Tomo 10. Sermone 147. Credamus hoc, inquit, fratres, etsi argumenta philosophorum difficilè soluimus. Illud quod demonstratũ est in domino, sine difficultate teneamus. Illi garriant: nos credamus, etc. Et aliàs monet, Impias argumentationes si ratio refutare non poßit, fides irridere deberet. ORO.

Vnionem duarum naturarum in Christo à diuina scriptura tradi omnes confitemur, nec illam hypostaticã esse inficiamur, sed in ea unione contendimus & naturas ipsas & earum proprietates, distinctas & minime confusas esse conseruandas. Et licet philosophi dicant absurdam esse huiuscemodi unionem, attamen credentibus non est absona. Vnde licet ex ea coniunctione sapientibus huius seculi multa uideantur derivari ἄλογα, non tamen fas est pijs hominibus, inde ulla conficere ἄτοπα, quæ diuinis literis ueræq; theologiæ aduersentur, Vbi clarißimè traditur, filium hominis, quamuis in gloria est, adhuc tamen uerè hominẽ esse. At uelle hominem ita esse, ut sit immensus, infinitus, incircumscriptus, quid aliud est quàm negare illum uerè hominem? nec non dicere pugnantia, non sanè cum physicis rationibus tantùm, sed cum decretis & principijs nostræ fidei? Laboratis, & quidem nobementer, ex diuinis literis illam unionem duarum naturarum probare: sed frustra: quoniam à nobis & conceditur, & creditur. Sed ex ijsdem fontibus ostendatis oportet, filium hominis redditum infinitum, immensum

Vnio hypostatica duarum naturarum credentibus nõ est absurda.

mensum, incircumscriptum, & esse ubique. Hæc uos, hæc inquam, demonstrare necesse est: quod usque dum non feceritis, nos absurdis uestris theologicis non cedemus.

PAN. Age, me in eam harenam uocas, in quam tecum descendere ultrò cupiebam, nempe ut de conseruatione naturarum & proprietatum in Christo certi aliquid statuamus. Quod ut sub manus rectè procedat, primùm tibi agnoscendum est, Naturam aliquando significare ipsam rei sustantiam, aliquando autem rei proprietates & accidentia. Cum ergo dicitur quòd in una persona Christi sint duæ diuersæ naturæ, quarum altera non mutatur in alteram, & quæ non sunt confundendæ, nec inter se commiscendæ: Nomen naturæ intelligendum est de ipsa rei substantia. Vt in persona Christi est substantia diuina, quæ est spiritus increatus, & ab æterno: est & substantia humana, quæ est corporea, & non fuit ab æterno, sed est creata. In hypostatica igitur unione Christi, nec deitas, quæ est spiritus increatus ab æterno, mutatur unquam in humanitatem, quæ est substantia corporea, & creata: nec humanitas mutatur unquam in deitatem: sed unaquæque substantia manet inuiolata, & immutata in persona Christi. ORO. De ijs inter nos pulchre conuenit. Idcirco poteras supersedere hoc labore: nam frustra interponuntur, quæ non sunt in controuersia. Verùm id te monebo, non tantùm substantias & res ipsas retinendas esse impermixtas & inconfusas, uerùm etiam illarum proprietates & præsertim eas quæ sic ipsis cohærent, ut ab eis diuelli no-

Naturæ significatio duplex.

Bona sententia.

Cautela prioribus addenda

queant. PAN. Tu me anteuertis: isthuc ibam. Spero me tibi satisfacturum, si modò aures dicenti præbueris. ORO. Aures habebis, & quidem attentas, assensum tamen non impetrabis, nisi uera et cõsentanea dixeris. Quare uelim te colligas, & quæ dicturus es prudenter expendas, nam in ipsa propemodum arce causæ uersamur. PAN. Operam dabo ne opera ludatur.

Ad alterum membrum partitionis meæ redeo. Si autem nomen naturæ intelligitur pro rei proprietatibus seu accidentibus, obscurum non est, quòd deitas sit res simplicissima, nec ullum in eam accidens cadat, ideoq; sit immutabilis & impassibilis: Humanitas autem sit res composita, & uarijs accidentibus obnoxia, quæ & substantiã rei non mutant, & præter subiecti (ut dialectici loquuntur) corruptionem adesse possunt & abesse. Quare etsi humana substantia obnoxia est passioni et morti, tamen hæc proprietas non sic inhæret homini, ut ea mutata, mutetur & hominis substantia, sed potest & adesse & abesse. Nam & Christus in resurrectione sua euasit & passionem & mortem, & reliqui omnes homines fient tandem impassibiles & immortales: nihilominus tamen ut Christus post resurrectionem, ita & reliqui homines in sua resurrectione retinebunt ueram & perfectam humanam substantiam. Quòd si hæc proprietatum & accidentium mutatio non mutat rei substantiam, quo modo non posset etiam immutata manere substantia corporis, etiamsi alicubi non esset localiter in loco, cùm in loco esse non sit corporis substantia, sed tantùm pro-

proprietas subiecti accidentaria? Quòd si dixeris esse tam proprium corpori esse in loco, ut ab ipso separari non queat, Fingamus interim hoc suo modo uerum esse. Non tamen negari potest, quin quod est naturæ impoßibile, hoc sit diuinæ potentiæ & industriæ non poßibile tantùm, uerum etiam facile. Et quid? Annon cœlum maximum omnium corporum, etsi continet intra se omnia loca, tamen ipsum in nullo est loco? Quandoquidem Aristoteles ipse definiat, ὅτι οὐδὲ τόπος, οὐδὲ κενὸν, οὐδὲ χρόνος ἐστὶν ἔξω τοῦ οὐρανοῦ, Id est, quòd neque sit locus, neq; uacuum, neq; tempus extra cœlum? ORO. Quamuis Deus (ut memoras) est simplex & absq; accidentibus, nihilominus tamen scio te nõ ignorare, permulta de illo dici, ueluti sint eius proprietates, quæ in scholis Theologorũ uulgò appellãtur illius attributa, ut sunt ea quæ paulò antè recensebas. Dicitur quippe immensus, incircumscriptus, æternus. Hæc inquam etsi eius accidentia non sunt, de ipso tamen ut quædam eius qualitates dicuntur. Verùm dum mihi hæc refers, non possum rursus non mirari, quod cùm humanæ Christi naturæ simplicitatem & æternitatem non accõmodes, cur illi conuenire tantopere contendas Immensitatem & Vbiquitatem? Sed quia de hoc superius abundè sum loquutus, id rursus non exagitabo, sed ad reliqua pergam. Etsi permulta (ut dicis) humanitati accidant, quæ siue adsint siue absint, naturam eius non immutant, attamen & alia sunt, quæ in ea sic inhærent, ut ab ea tolli nequeant citra eius exitium. Etenim si à natura hominis certam mensuram, linea menta, & circumscriptionem remoueris, iam utique

Deus est simplex, de quo tamen permulta dicuntur attributa.

Ab homine remoueri non potest circumscriptio.

potius erit quiduis aliud quàm homo. Addis, Esse in loco, & quidem localiter, non esse talem proprietatem, quæ si ab humanitate Christi auferatur, ipsum destruat. Verùm hac in parte uehementer erras. Esse quidem mortale, & immortale, Pati & non pati, ab homine, salua eius natura, & remoueri & ei rursus annecti possunt. Sed eadem non est ratio circumscriptionis, magnitudinis, & mensuræ: quoniam hæc ab humano corpore non possunt eo incolumi remoueri. Atque ijs positis locus è uestigio per se consequitur. Aut enim ut locus auferatur, ea quoque tollenda sunt: aut illis positis locus adhibendus est. Hoc dilucidè Augustinus ad Dardanum scripsit, quemadmodum superius ostendi. Tolle, inquit, spacia locorum corporibus, nusquam erunt: & quia nusquam erunt, non erunt.

Augustin.

Ad id uerò quod in latibulũ diuinæ potentiæ te denuò recipis, quasi, etsi non potest id natura fieri, potẽtiæ tamen & industriæ diuinæ sit facile, nõ est quod modò respondeã: satis quippe diu uersati sumus antea in hoc argumento. Id potius uideamus, quòd supremũ omnium cœlorũ orbem ais corpus esse, nec tamen esse in loco, quod extra se nihil habeat, quò contineatur. Atq; ita niteris euertere dictum Augustini, & nostrũ δόγμα, quo statuimus omnibus corporibus deberi locum. Proh Deum immortalem, usq; in cœlum, idq; supremum, te oportuit ascendere, ut aliquod reperires corpus, quod non esse in loco demonstrares. At consyderare debuisti, Corpus Christi de quo agimus non esse sphæricum, sed humanum: & licet (ut quidam physici uolunt) locus non conueniat orbibus cœlestibus nisi

Vide fol. 3 & 4

An supremum cœlũ sit in loco.

per

per accidens, corporibus tamen ceteris quæ nõ motu circulari, sed recto mouentur, per se tribuitur. Vnde Christi corpus quia non est illud sublime sphæricum, sub communi cæterorum corporum necessitate relinquitur, nempe ut sit in loco. PAN. Rem non benè tenes. Argumenti nostri uis & robur in eo est. Si sublime cœlum à necessitate loci excipitur, & corpus Christi eximi posse ab Augustini & uestro decreto. ORO. Satis intellexeram. Ostendere tamen uolui esse inter corpora magnum discrimen, & de omnibus non eodem modo esse statuendum. Quid enim corpus cœleste supremum commune habet cũ humano Christi corpore, quod nec sphæricum est, nec circulariter mouetur? Si de te quæram, cur illud summum cœlum neges esse in loco? dicis, quod extra se non habeat aliud corpus. At de corpore Christi quam potissimam causam afferes, quare illud non oporteat esse in loco? PAN. Causam esse dicam unionem hypostaticam cum deitate. ORO. At loci occupatio nihil eiusce modi unioni officit. Nam cùm inter nos uersaretur in terris, nihil minus quàm pòst resurrectionem, duas illas naturas coniũctas in eadem persona secum habuit, & locum tamen ut ceteri homines occupabat. Quam obrem illa unio quæ uel in utero matris pollebat, nil obstare potest quin illud corpus, quamuis glorioſum, loco finiatur. PAN. Igitur in eius arbitrio situm est, uelit nolitúe suo corpore locum occupare. Illi utrũq; liceat: quia conditio localis nõ est tam propria corpori, quin ualeat ab eo remoueri. Etenim primus cœlorum orbis corpus est, & loco non continetur.

ORO. Dici non potest quàm tibi ipsi hoc inuento placeas: crebrò quippe illud obijcis, & quidem incredibili confidentia, quasi supremo illo cœlo & nos & nostram causam funditus oppresseris. Verùm prudens ac tacitus litem hanc tibi minimè tradam. Nam quod tam audacter tibi sumis, à me tanquam concessum non auferes. Et enim supremum cœlorum orbem, quem firmamentum uocant, in loco esse tibi affirmo: quandoquidem dubitari non potest quin moueatur, & (ut omnes confitentur) localis est eius motus. Quis autem dixerit absq; loco fieri localem motum? Vt itaq; mouentur per partes & non secundum totum, ita etiam est in loco per partes, non secundum totum. Quod ut rectè intelligas, animaduertas oportet. Corpora quæ rectè mouentur, in loco sunt, quòd ambiantur & contineantur aliquo externo corpore. At cœlū in loco est per interiores partes, nimirum per extremam superficiem inferiorem, qua tangit conuexū orbis Saturni. Atq; hæc fuit Themistij nobilissimi Peripatetici sententia, cum quo & Alexander fecit, nec non inter Latinos Aquinàs. Cumq; Aristoteles inficiari uidetur ultimum cœlum esse in loco, id non est accipiendū quasi pronunciatum in uniuersum, sed iuxta definitionem loci, quam antea proposuerat, quæq; ad corpora quæ rectè mouentur pertinet: At secundum alteram loci rationem, quam Aristoteles potius innuit, quàm definuerit, non est negandum simpliciter orbem supremum cœli esse in loco: quia (ut dixi) cùm localiter moueatur, ut in loco sit aliquomodo necesse est. Additq; orbem supremū extremā sua parte interiori sic tangi &

Motus localis non fit absq; loco.

& finiri ab orbe Saturni, ut extra illum non possit circumferri: & nunquam simul eodemq; tempore secundum se totum est in diuersis locis, sed à mundi centro eandem semper habet distantiam: unde ad illius circumferentiam cauam si rectæ lineæ trahantur, erunt prorsus æquales. Cõmemorare præterea liceret Auerrois opinionem, inter Arabas Peripateticos non obscuri Philosophi, qui statuit supremum orbem per centrum terræ esse in loco. Verùm id prætereo. Satis est infimam eius circumferentiam comprehendi loco. Quod si non datur supremæ, id sic accidit, quoniam supra se aliud corpus non habet, iuxta Peripateticorum doctrinam: nam si ei adesset, per eam non staret quin eo ambiretur. Locus igitur omni corpori debetur uel uno uel altero modo. Et stabilis permanet Augustini sententia, quam etiam Cyrillus (ut antea monui) confirmauit, dicens uel ipsam trinitatem, si esset partibilis, & corpus, fore in loco. Auerroes. Cyrillus.

Et quia tibi libuit sic uehementr de supremo cælorum orbe disputare, id abs te peto, ut corpori Christi saltem ea tribuas, quæ illi cælo ab omnibus adscribuntur: nempe ut sit comprehẽsum, et terminatum, nec ei negetis certas et finitas distantias, extremam superficiem, & sua distincta membra, nec illud simul secundum se totum ponatis in diuersis locis aut ubiq;. Hæc illi orbi cælesti necessariò conueniunt: eadem si à corpore Christi non auferatis, iam perfecta erit & composita nostra disputatio. PAN. Quin id faciam ea causa impedior, quòd apud me cùm de corpore Domini cogito, uel cùm unà cum alijs de eodem loquor,

illud non consydero iuxta proprietates & accidentia huius mundi. Nam ita manifestum est, ut dicis, corpus in loco localiter & circumscriptiuè esse debere. Sed illud unicè attendendum est, illud corpus unitum esse cum filio Dei personali uel hypostatica & inseparabili unione, qua fit, ut ubicunque est filius Dei, ibi sit etiam corpus eius, ne si alicubi esset deitas Christi, ibi non esset humanitas eius, unitas personæ discerpatur. Itaq; etsi humanam naturam extra Christum & iuxta physicas rationes in uno tantum loco esse oportet, ut Augustinus dixit, & Christus susceperit tempus ministerij sui & conuersationis in hoc mundo, humanas propter peccatum imbecillitates, ac fuit corpus suo pro conditione huius mundi in loco circumscriptiuè: tamen interea hypostatica unio non fuit dissoluta, ut ubicunq; fuit deitas Christi, ibi non secum habuerit humanitatem suam, idq; non localiter, sed (ut ex illo prophetæ dicto, Cœlum & terram ego impleo, ueteres loquuti sunt) repletiuè. Quam igitur gloriam corpus Christi uel habuit in hoc seculo, uel iam habet in altero, non habet ex natura humanitatis per se, sed habet ex natura deitatis, cum qua corpus Christi hypostatica unione inseparabiliter est unitum. O T. C. Dicens corpus Christi non esse consyderandum in proprietates & conditiones huius mundi, quo modo mihi non satis liquet. Nam si species mortem, passionem, & afflictiones, edocti abunde sumus, Christum semel mortuum, & semel passum, non amplius mori neq; amplius pati. At si per mundi proprietates intelligis fines, terminos, lineamenta, & circūscriptionem,

ſic humano corpori propria ſunt, ut illa deponere nequeat. Neque pertinent hæc ad humanæ naturæ uitium ſeu defectum, imò ad conſtitutionem eius omnino ſpectant. Ita enim conditus eſt homo, quem ut filius Dei uerum ſuſcepit, ita etiam uerum ſeruat adhuc & retinet. Neque hypoſtatica unio hæc abſtulit, ſed potius perfecit. Quare non eſt quod ſemper illam nobis opponatis, quaſi diſcerpenda ſit unitas perſonæ, ſi non ubicunq; eſt deitas Chriſti, etiã ſit ibi eius humanitas. Eſt quidem ſemper unitum corpus cum deitate, nec ille nodus aſtrictiſſimus unquam reſoluitur, licet non tot occupet loca, quot diuinitas replet: quemadmodum uiciſſim non eſt deitas contrahenda uel finienda, ut humano corpuſculo terminetur. Ita ſe duæ iſtæ naturæ Chriſti habent, ut ſicut diuinitas non clauditur corpore, ita humanitas illi non eſt adæquanda, uel extra ſuos naturæ fines educenda. Videris ex quadam liberalitate dare, domini corpus iuxta phyſicas rationes in uno tantùm loco eſſe oportere, Auguſtini ſententia. Verùm hoc non rectè dicitur: quandoquidem Auguſtinus ibi de corporibus generatim pronuntiauit, neque phyſicum ab hypoſtaticè unito cum diuinitate diſcreuit. Imò de ipſa Chriſti anima diſputans, illam aſſentiri noluit eodem tempore apud inferos & in cœlo fuiſſe: ubi manifeſtè apparet eum non intelexiſſe cœlum noſtro more. Veſtrum quippe cœlum eſt ubique. Ac ideò ſi nobiſcum ſentiret, potuiſſet facile concedere, Chriſti animam dum erat apud inferos eodem tẽpore fuiſſe in cœlo. Nã cùm alicubi eſſet, in cœlo utique fuiſſet, quod (ut multis) eſt ubiq;. At in iſtam

Locus Auguſtini ad Dardanum excuſſus.

sententiam pertrahi non potuit, ut uerba eius pressius considerata indicant, cum tamen optimè sciret naturam diuinam illi animæ fuisse hypostaticè unitam. Certè si tecū in ista causa fecisset, nullo negotio solui poterat Dardani quæstio, dicendo Christi animam simul eodemq; tempore ubique fuisse, ac eo die cùm apud inferos degeret, unà etiam cum latrone potuisse in paradiso esse. Cæterùm hoc non dixit Augustinus: imò definiuit illam coniunctionem latronis cum Christo eo die quo moriebatur, ad naturam diuinam esse referendam: quæ cum infinita sit, eodem momento & apud inferos, & in paradiso, nec non in omnibus locis erat, & ut scias Augustinum ibi esse loquutum de humanitate Christi, non physicis rationibus, sed quatenus diuinitatem hypostaticè coniunctam secum habuit, ipse audiendus est, dum refert qualem sibi quæstionem Dardanus proposuerit. Sic enim scribit, Et hic fortasse intelligendum dicis paradisum, quasi in ea qua cœli parte positum, aut quia ubiq; Deus sit, hominem quoq; illum qui in Deo sit, ubiq; diffusum, Ex hominum intelligi uolens etiam in paradiso esse potuisse qui ubique sit, &c. Ex his iam intelligis ibi de humanitate Christi disputari non simpliciter, aut ex physicis rationibus, sed quatenus in Deo erat. Vnde arbitror Dardanum id suspicatum fuisse, quod uos opinamini. Sed Augustinus in ecclesiæ dogmatis exercitissimus, longè aliter sensit. Nam respondendo scribit, Si ergo secundum hominem, quem Deus Verbum suscepit, putamus dictum esse, Hodie mecum eris in paradiso: non ex his uerbis in cœlo existimandus est esse [illegible]

radiſus. Neque enim in cœlo ipſo die futurus erat homo Chriſtus Ieſus, ſed in inferno ſecundum animam, in ſepulchro autem ſecundum carnem, &c. Hinc elicias eum loqui de illo homine, quem Deus Verbum ſuſcepit. Deinde liquidò teſtari, hominem illum eo die non fuiſſe in cœlo, ſed partim in ſepulchro partim apud inferos. PAN. Attamen uidetur ambiguè loqui de paradiſo, an ſit in cœlo, ut uos affirmatis, an alibi. ORO. Cum ita loquitur, non it inficias locum beatorū eſſe ſuper omnes cœlos. Sed quod Abrahæ ſinus, in quo tum animæ patrum fuiſſe dicuntur, paradiſus forte ſit appellatus. Vnde quæſtionem Dardani dupliciter ſoluit, aut paradiſum intelligendum eſſe Abrahæ ſinum, in quo latro cum anima Chriſti eo die fuerit. Vel ſi paradiſus accipiatur pro aliqua cœli parte, dictum illud ad deitatem referendum, non ad humanitatem: quod illa eo die in cœlo non fuerit. Vt uerò hypoſtaticam unionem ſecus atque uos acceperit, eodem loco demonſtrat, ſcribens, Sic uenturus eſt, illa angelica uoce teſtante, quemadmodum ire uiſus eſt in cœlum, id eſt, in eadē carnis forma atque ſubſtantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturā non abſtulit: ſecundū hanc formam non eſt putandus ubique diffuſus. Cauendum eſt enim ne ita diuinitatem aſtruamus hominis, ut ueritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens, ut quod in Deo eſt, ita ſit ubique ut Deus, &c. Quod tu ſtatuis hominem à filio Dei ſuſceptum eſſe ubique, ut diuinitas, audis Auguſtinum apertiſſimis uerbis negare. Deinde ſubiecit: Vna perſona Deus & homo eſt, & utrunque eſt unus Chri- Nota

ſtus Ieſus, ubique per id quod Deus eſt, in cœlo autem per id quod homo, &c.

Sed iam mitto Auguſtinum, & ad tua redeo. Porrò eſſe in loco repletiuè & circumſcriptiuè, tam arguti diſcernere non oportuit. Nec dubium mihi unquam ſi it Deum omnia implere: nam & id ex Propheta qui adduxiſti didici, & in poetis prophanis legi, Iouis om nia plena. Et, In eo uiuimus, mouemur, & ſumus. I corpus, niſi uelis ipſum transformare in Deum, à lo quæ implet, circumſcribitur, nec aliter in eis eſſe p teſt, præſertim ſi ſit humanum. Miror præter iſtos ueteres, qui tradiderint corpus Chriſti eſſe u que repletiuè abs te non produci. Ego ſanè in Pa bus id nuſquam legi. Et in ſcripturis animaduerti co brò haberi Chriſtum à quibuſdam locis abfuiſſe: q non poteſt niſi ad corpus referri. Tu uerò ais non tantùm certo loco fuiſſe, uerum etiam ubique p pter hypoſtaticam unionem, ac reperiſti aſylū (qu uis minimè tutum) quò te reciperes, dicendo id accipiendum circumſcriptiuè, hoc autem repleti Id abs te rurſum peto ut mihi uel in diuinis literis, in patribus receptæ authoritatis, humanitatem Chri ſti fuiſſe ubique repletiuè demonſtres. Ignoranti ſta uetuſtas acumina noſtra tam obtuſa. Certe nec, ri ſentiunt uos hæc finxiſſe, ne ab ipſa ueritate mu omnibus obruamini. Nec poteſtis euitare, quin ſ undo ſeruatoris noſtri corpus in multis locis eo tempore, illud ſæpius cõgeminetis. Nam corpore erat Hieroſolymis, non utique potuit eſſe uel Ro uel Athenis, ubi ſi (quemadmodum multis) præſen it,

Poetæ deũ eſſe ubique teſtantur.

Corpus non poteſt eſſe in loco niſi localiter.

De diſtincti one noua, localiter & repletiuè.

it, alio atque alio corpore ibi fuisse oportet, nisi uelitis ei localem extensionem attribuere. PAN. Nihil horum dicimus, sed euehimus ipsum ultra corporalem mundum extra omnem creaturam & locum, & collocamus iuxta conditionem hypostaticæ unionis in cœlesti Maiestate, quam etsi tempore carnis suæ in hoc seculo dissimulauit, seu ea sese exinaniuit (ut loquitur Paulus) nunquam tamen ea caruit. Potestatem, inquit Cyrillus, quam post resurrectionem ait sibi datã, ante resurrectionem quoque habebat, etc. Vnde Hierosolymis erat dum inter nos ageret uisibiliter & localiter, cum deitate autem ubicunque ea esset extra omnia loca, inuisibiliter & illocabiliter. Etenim loca quæ nostris oculis diuersa & à se inuicem distantia uidentur, quo ad Maiestatem Dei neq; tot neque tanta sunt. Verum ut omnia tẽpora sunt ei momentũ, ita & omnia loca sunt ei unus locus, imò ne punctus quidem loci, aut si quid minutius dici potest. Quare humanitatem cũ deitate coniungimus, nõ eam extendimus neq; diffundimus corpus Christi, locali seu corporali modo, sed ei tribuimus illam Maiestatem, quã humana ratio comprehendere non potest, sed quæ ipsi propter hypostaticam unionem debetur, & quam non tam miraculis quàm resurrectione à morte, ascensu suo in cœlum, & sessione sua ad dexteram Dei patris patefecit.

ORO. Magnificis porrò ac splendidis uerbis, oratione item ampulloſa & sesquipedali usus es, ad tuam persuadendam chimeram. Sed certò scito, Christi corpus huiusmodi titulis & prærogatiuis non ornari neque illustrari, sed potius conuelli ac destrui. Nam dum

Corpus Christi non earet proprietatibus

collocatur extra corporales proprietates, iam non est humanum corpus, neque illud tibi licet extra omnem creaturam ponere. Nam uelis nolis quo ad humanitatē est creatura. Christū quippe dicit Apostolus ex muliere factum: quod etiam tu (quantū animaduerto ex prioribus sermonibus) dare non grauaris. Quod uerò creatum est, & finitum & terminatum esse oportet. Quòd autem Cyrillus affirmet Christum semper eandem habuisse potestatem, me nihil impedit: quia non est potestatis Christi, ut omnia loca sua humanitate repleat: id enim ipsa pernities esset humanæ naturæ. Atque ut de potentia ipsius Dei nihil detrahitur, cùm docetur non posse peccare, non posse negare seipsum, ita nō debilitatur Christus, cùm humanitate sua certo loco esse affirmatur. Nimium tuis indulges cogitationibus, affirmando Christi corpus omnia loca implere, necnon extra omnia loca esse. Profectò si ea omnia implet, quomodo extra ea positum est? Omnia ipsum implere dicis, & illocabiliter. Strepitum uerborum audio, sed res quam dicis minimè percipitur. Si hæc afferendo corpus non uertas in spiritum, quod abs te profertur cōstare nō potest. Multas quidē corporis Christi dotes audiui prædicari: sed quod impleat omnia loca, & sit in eis illocabiliter, idq; dū hic uiueret nolūscū, nec in diuinis literis, nec in Patribus usquā extat. Quiduis de Christo audebunt homines fingere, si semel ista recipiantur. Nunquam deerunt latebræ, & confictarum distinctionum refugia. Theologis distinctiones minime sunt improbandæ, modò earum fundamenta & uestigia in sacris literis ostendātur, non

Corpus Christi non est collocādum extra omnem creaturam.

Quæ distinctiones in Theologia sint recipiendæ.

tem eæ, quæ solùm agnoscuntur inuētæ, ut argumenta firma & solida eluantur. Quæ posteà de Maiestate Dei commemorasti, dicendo instar unius loci ei esse omnia loca, imò ne punctū quidē loci, uerissima sunt: uerùm humanitati Christi nequaquam congruunt. Nam tam magnum locum licet ostendere, qui ab ea non possit impleri. Non enim totum Salomonis templum dum esset in terris, uel totam Hierosolymam suo corpore occupabat: alioqui cæteris hominibus quæ loca relicta fuissent?

PAN. Videris parum attendisse quæ dixerim, nempe corpus illud ita esse ubiq;, ut nihilominus tamen ponatur extra corporalem mundum, extra omnem creaturam & locū, inuisibiliter & illocabiliter.

ORO. Quæ dixeras equidem attendi quàm diligentissimè: sed frustra. Sonos quippe amplos, & magnos uerborum crepitus edidisti, quæ ita sensu & ratione carēt, ut nec intelligi possint, nec inter sese queāt conuenire. Te autem satis mirari non possum, qui loca fingas extra omnia loca, & corpus alicubi statuas illocabiliter. Ego sum rudis: non sic theologari didici. Sed tamen (quantum iudico) naturam Christi humanā in deitatem conuertis.

PAN. Christi corpus non sentio in spiritum abiisse, uerùm communionem ἰδιωμάτων expendo, quæ in diuinis literis habetur, & à Patribus orthodoxis passim traditur. Neq; mihi persuadeo eam abs te tantummodò uerbalem statui, cùm res ipsæ, conditiones inquam, & proprietates naturarum, nō uocabula solæ communicentur. De communicatione ἰδιωμάτων

ORO. Communionem ἰδιωμά-

τον hoc est proprietatũ, minimè reijcio, quamuis eam crassam, et per omnia confusam non admitto. PAN. Videris aliquid excipere: perspicuè mecum agas. ORO. Aliqua profectò excipio. Quia immortalitatem, lucem, gloriam, & cætera, quorum natura humana est capax, illi communicata esse fateor: sed alia, ut est æternitas, immensitas, & ubiquitas, cùm illa nequeat recipere, ipsi non potuerunt cõmunicari. Verùm hac de re antea, quantum uisum fuit.

Quæ proprietates communicentur, & quæ non communicentur,

Nunc restat ut exemplis demonstrem, et illustrem, quæ sint proprietates, quæ uerbotenus communicentur, cùm re ipsa naturis conuenire non poßint. Verbum esse Carnem concedimus, nõ quòd re ipsa natura diuina sit natura humana, sed quia Verbum in utero uirginis carnem suam fecit, illam assumendo. Scribitur etiam, Deum ecclesiam sanguine suo mundasse: quia id factum est sanguine illius naturæ, quam Deus ἰδιοπρόσωπον propriam fecit, non quòd natura diuina suum sanguinem habeat. Sic præterea Dominus gloriæ crucifixus & mortuus dicitur, cum paßio, crucifixio, & mors, ad Verbum non pertigerint (quod utiq; impassibile est ac immortale) sed quia sic affecta est ea natura, quam Verbum ex uirginis utero sumpsit, & propriam sibi fecit. Ita Cyrillus eiusmodi propositiones resoluere ac interpretari docuit. Nec non ita filius hominis de cœlo descendisse dicitur, quòd per incarnationem sit unitus ei naturæ, quæ descendit è cœlo: alioqui non potuisset esse in cœlo, cum adhuc non esset. Descensus quippe saltem natura, prius intelligitur, quàm incarnatio. Ad eundem modum filius hom-

Cyrillus.

nis esse in cœlo dicebatur, cum uersaretur in terris: quòd nimirùm illi naturæ esset coniunctus, quæ in cœlis erat. Istas communicationes affirmo esse uerbales, quòd proprietates, re ipsa, utriq; naturæ congruere nequeant. Nec tamẽ ita sunt uerbales, quin iusta causa præcedat, quare concedi & recipi, ut uerè, debeant. Ea uerò est unio hypostatica: quæ si non interuenisset, huiusce modi loquutiones à fidelibus et orthodoxis nullo modo reciperentur.

Aliquæ cõmunicationes ἰδιωμάτων sunt uerbales.

Verùm ne uana et à me conficta existimes, quæ hactenus dixi de cõmunicatione ἰδιωμάτων, siue δοσεσιν, ostendam multis Patrum testimonijs quasdam esse proprietates, quæ reipsa communicari non possint inter duas in Christo diuersissimas naturas, & sententias diuinarum literarum, quibus uidẽtur communicari esse resoluendas uel interpretandas, ut docui. Sed imprimis locum ex scripturis producere libet, deinde ad Patres ueniam. Ioan. 1. habetur, Baptistam de Christo dixisse, Qui post me uenit, ante me factus est: & ea sententia bis repetitur. Quomodo uir ille, nimirum Christus, fuit post Ioannem & ante Ioannem? Certè non potest humanitati Christi reipsa communicari ea proprietas, ut fuerit ante Ioannem: neq; diuinitati conuenire potest, ut fieret post Ioannem, uel illum sequeretur, cùm sit æterna. Sunt ergò quædam proprietates, quæ de subiecto quidem seu persona prædicantur, & ei conueniunt, sed reipsa utriq; naturæ minimè cõmunicantur, sicut etiam est illud, Priusquam Abraham fieret, ego sum. Id quoq; sic propriũ fuit naturæ diuinæ, ut ad humanitatem non possit quo ad rem adaptari.

Cyrillus. Cyrillus in declaratione Anathematiſmi 3. ſic ſcribit: Dicimus itaq; eundem palpabilem, cùm ſit impalpabilis, uiſibilem cùm ſit inuiſibilis. Nõ enim alienum ab eo corpus eſt, quod illi coniunctum, quod & palpabile & uiſibile eſſe dicimus, &c. Idem Cyrillus de Recta Fide ad Reginas: Et primus quidem è terra terrenus, ſecũdus autem ex cœlo, quamuis natus per mulierem. Nam Verbum deſurſum eſt, & de cœlo, & ex Deo, tametſi factum ſit homo, & nihilominus eſt de cœlo, &c. Eſſe de cœlo proprium eſt Verbi, ut inquit: homini autem reipſa non conuenit, quamuis de eo prædicatur ſermone ac phraſi ſcripturæ.

Ioannes Antiochænus ad Archiepiſcopum Cyrillum, cùm ei reconciliaretur, ad hunc modum ſcripſit: Euangelicas uerò & Apoſtolicas de Domino uoces ſcimus uiros theologos tanquam ad unam perſonam pertinentes, ratione duarum naturarum diuidere, et alias quidem utpote diuinitati competentes ad diuinitatem Chriſti, alias uerò humiles ad illius humanitatem referre. Hoc ſuſcepto complacuit nobis ad amolitionem omnis contentionis, & ut per orbem ſanctis Eccleſijs Dei pax cõſtituatur, tollanturq; è medio repullulantia offendicula, &c. Hæc diligenter notanda ſunt ueſtris hominibus: quia dum confunditis hanc diſtributionem accõmodatam diuerſis naturis, & multis Chriſtum etiam quoad humanitatem eſſe ubiq;, nõ tantùm aduerſamini Theologis antiquiſſimis, uerùm pacem ſanctis Eccleſijs Dei per orbem auſertis, & offendicula datis operam ut repullulent. Hanc Ioannis Antiochæni doctrinam Cyrillus recepit, & ijs uerbis ad

eum

cum rescripsit: Cum sacras istas uestras uoces legissemus, nosq; ipsos etiam ad hunc modum sentire deprehendissemus (unus enim Dominus, una fides, & unum baptisma) glorificauimus omnium seruatorem Deum, mutuò nobis congratulantes quod Ecclesiæ cùm nostræ tum uestræ fidem habent diuinis scripturis et traditionibus sanctorum Patrum conuenientem. Et in eadem Epist. Cyrillus, qui durius uidebatur locutus, ita seipsum interpretatus est: Oportebat enim, oportebat inquã, manifestè cognoscere, quod uniuersum pro fide certamen ob eam causam in nos irruit, quòd sanctam uirginem deiparam esse constanter affirmamus. At si sanctissimum nostri omnium seruatoris corpus non ex uirgine natum, sed cœlo delatũ esse dicimus, quomodo poterit illa Deipara intelligi? Quem nanq; omnino peperit, si uerum non est quod secundum carnem Emanuelem genuit? Ridendi itaq; sunt, qui talia contra mugiantur. Non enim mentitur Propheta Isaias dicens: Ecce uirgo in utero habebit, & pariet Filium, & uocabunt nomen eius Emanuelem, quod sonat si interpreteris, Nobiscum Deus. Et Angelus Gabriel omnino quod uerum est ad Beatam Virginem loquitur, dicẽs: Ne timeas Maria, Inuenisti enim gratiam apud Deum. Et ecce concipies in utero, & paries Filium, & uocabis nomẽ eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Cùm uerò Dominum nostrum è cœlo, & è supernis esse dicimus, non ita hoc loquimur, quod sancta ipsius caro è cœlo sit allata, sed magis diuinum Paulum sequimur clarè uociferantem, ac dicentem: Primus homo è terra terrenus, secundus ho

mo Dominum est è cœlo. Sumus autem & ipsius sermonis memores, dicētis: Nemo ascendit in cœlū, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, &c. Quanquā enim ex sancta Virgine, sicuti iam dixi, secūdum carnem est natus, quia uerò Deus Verbum, qui è supernis cœlestibus descēdit, formam serui quam assumpsit, consortem sibi reddidit, uocatusq; est Filius hominis manens simul quod erat, nempe Deus (Immutabilis enim est & minimè alterabilis secundum alteram naturam) iam tanquam unus cum carne propria cōsyderatus è cœlo descendisse dicitur. Nominatus autem & homo de cœlo est ob id quod & in diuinitate et in humanitate perfectus est, & tanquam in una persona consyderetur, &c. Liquidò possumus ex isto loco agnoscere, quis cōmunicatio proprietatum sit in ijs quæ utriq; naturæ non possunt reipsa congruere.

Leo. Et Leo in Epist. ad Flauianum, 4. cap. Agit enim utraq; forma cum alterius communione, quod proprium est, uerbo scilicet operāte quod uerbi est, & carne exequente quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniurijs. Et sicut uerbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit, &c. Hinc apparet, quā ratione proprietates & operationes inter duas naturas sint distribuendæ, nec utriq; naturæ conueniant. Idem Leo in Sermone 2. de resurrectione Domini, ait: Suscepit enim nos in suam proprietatem seu potestatem (utrūq; enim legitur) illa natura, quæ nec nostris fuit nec suis nostra consumeret, quæ ita unam in se fecit deitatis humanitatisq; personam, ut sub dispensatione in

firmi-

firmitatum atq; uirtutū, nec caro per diuinitatem inuiolabilis, nec diuinitas per carnem posſit esſe paßibilis, &c. Ex his apertè intelligis proprietatem paßionis diuinitati non communicari, niſi modo iam expoſito. Præterea in eadem Oratione, Inuiſibilis uiſibilem, intemporalis temporalē, impaßibilis paßibilem ſubſtantiam ſuam fecit, non ut uirtus deficeret in infirmitate, ſed ut infirmitas in incorruptibilē poſſet tranſire uirtutem, &c. Rurſus ex ijs facilè intelligimus, quomodo hypoſtaſis & natura diuina dicatur uiſibilis, temporalis & paßibilis: quia nimirùm per incarnationem, ſuam fecit naturam, quæ talium eſt proprietatum. Et ibidem: Sed quia uerbum & caro una perſona eſt, non diuiditur à ſuſcipiente ſuſceptus. Et honor prouehendi prouehentis nominatur augmentum, dicente Apoſtolo quod iam commemorauimus, Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. In quo utiq; aſſumpti hominis exaltatio commendatur, ut in cuius paßionibus manet deitas indiuiſibilis, idē coæternus ſit in gloria Dei Patris, &c. Hinc etiam oſtenditur exaltationem, quæ propria fuit hominis, Verbo quo ad nomen & locutionem communicari, cum alioquin eius minimè ſit capax. Deinde in Epiſt. ad Leonem Auguſtum, cap. 2. Cùm ergò unus ſit Dominus Ieſus Chriſtus, & uere deitatis ueræq; humanitatis in ipſo una prorſus eademq; perſona ſit, exaltationem tamen, qua illum (ſicut doctor gentium dicit) exaltauit Deus, & donauit illi nomen, quod ſuper omne nomen excellit, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda

erat tantæ glorificationis augmento, &c. Et tamen filius Dei ascendisse dicitur, cuius natura capax ascensionis non erat. Similiter in epist. ad Flauianũ cap. 5. Propter hanc unitatem personæ in utraq; natura intelligendam, & filius hominis legitur descendisse de cœlo, cùm Filius Dei carnẽ de ea Virgine de qua est natus assumpserit. Et rursus Filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cùm hæc non in diuinitate ipsa, qua unigenitus consempiternus, & consubstantialis est patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. Vnde unigenitum Filium Dei crucifixum esse puto. Omnes etiam in symbolo confitemur, secundum illud Apostoli dictum: Si enim cognouissent, nunquam dominum maiestatis crucifixissent.

Commendatio Theodoreti.

Quoniam nunc est ad Theodoreti ueniendum testimonia, ne illum fortasse contemnas eo nomine quod se opposuerit Cyrillo in synodo Ephesina, uisum est Leonis uerba referre, quæ habentur in Epistola quam ad eum scripsit post Synodum Chalcedonensem: ex quibus facile intelliges illum fuisse cum orthodoxum, tum etiam hæreticorum strenuum uictorem. Leo in Epistola ad Theodoretum sic scribit, Remeantibus ad nos fratribus nostris, quos ad sanctum Concilium sedes beati Petri direxit, agnouimus dilectionem tuã sine perno adiutorio nobiscum tam Nestorianæ impietatis quàm Eutychianæ uesaniæ extitisse uictricem, &c. Et mox: Exulta igitur charissime frater, & unico Dei Filio uictor exulta. Et mox: Sed benedictus Deus magister, cuius inuincibilis ueritas ab omni hæresos macula mundum te secundum sedis Apostolicæ iudicia demon-

monstrauit, cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam, si talem te qualem probauimus ac probamus pro uniuersalis Ecclesiæ defensione seruaueris.

Theodoretus Dialogo 3. qui dicitur Impatibilis, Christus autem post incarnationem Deus Verbum appellatus est. Hoc ergo nomen omnia suscipit, & quæcunque diuinitatis & quæcunque humanitatis sunt propria, & tamen cognoscimus quæ sunt huius & quæ illius naturæ, &c. Idem in eodem Dialogo, Hac utique ratione dominum quoque gloriæ crucifixum appellauit, Impatibilis naturæ nomen Patibili attribuens, quoniam eius corpus appellatum est. Hoc quoque præterea examinemus. Diuinus dixit Apostolus: Si enim cognouissent, dominũ gloriæ nõ crucifixissẽt. Crucifixerũt ergo naturã quã cognouerunt, non quã penitus ignorarunt Si aũt cognouissent, quam ignorarunt, non crucifixissent quam cognouerunt. Quia autem diuinam ignorauerunt, humanam crucifixerunt. Rursus in eodem Dialogo sic scribit: Et ego mihi persuadeo & credo eum esse gloriæ dominum. Non enim communis alicuius hominis, sed domini gloriæ corpus fuit ligno affixum. Oportet autem scire, quod unio facit nouina communia. Ita autem consydera. Carnem Domini dicis è cœlis descendisse? Non arbitror: cùm in utero Virginis sit formata. Quomodo ergo dicit Dominus, Si uideritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Et rursus, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo? Hæc utique non dicit de carne sed de diuinitate. Diuinitas autem est ex Deo & Patre. Quomodo ergo [illegible]

Theodoretus.

Verbalis communicatio.

Verbalis

uocat Filium hominis? Communia personæ eu
runt, quæ sunt propria naturarum. Idem enim prop
ter unionem & Filius hominis & Filius Dei, æter
& recens, & Filius Dauid & dominus Dauid, & d
huiusmodi similiter. Illud tamen sciendum est, quod
minum confusio non fecit naturarum confusion
Propterea enim etiam discernere quærimus, quem
modum est quidem Filius Dei, quemadmodum aut
rursus idem Filius hominis. Et ibidem: Dicit Do
nus, Panis Dei descendit de cœlo, & interpretans
tiamsi non possum apertius dicere propter myste
tantum uult dicere, ac si diceret, Caro mea est. C
filij descendítne de cœlo? Non descendit de cœlis. Q
modo ergo dicit, Panis Dei uiuit et descendit de c
Interpretans autem dicit, Quoniam uirtus susc
corpore de cœlis descendit. Id quod habet uirtus,
ni ascribitur. Ergo etiam conuerte, Quæ caro pati
Verbo ascribuntur. Quomodo passus est Christus
nobis? Conspútus est, in maxilla percussus est, fr
eius coronam imposuerunt, fossæ sunt eius manu
pedes. Hæ sunt omnes in corpore passiones. Refer
tur aũt etiam ad eũ qui inhabitat. Proijce lapidẽ i
peratoris imaginem. Quid dicitur? Feciſti inim
Imperatori. Conscinde uestem Imperatoris. Qui
citur? Insurrexisti aduersus Imperatorem. Cr
corpus Christi. Quid dicitur? Christus mort
pro nobis. Sed quid te aut me opus est? Accedam
Euangelistas. Quomodo accepistis à Domino, qu
modum mortuus est Dominus? Dicunt, Pater in m
tus commendo spiritũ meum. Spiritus sursum, c
p

pus in cruce pro nobis. Obtulit enim ouem, quòd quæ in eius sunt corpore, illi attribuuntur. Ac rursus: Naturæ ergò quæ circumscribi non potest, est non laborare. Implet enim omnia. Corporis autē quod circumscriptum est, trāsire proprium. Quod autem transit, si uiam ingredi cogatur, ex itinere laborē capit. Corpus ergò erat, quod & ambulauit & defatigatum est. Vnio enim non confundit naturas, &c. Si corpus Christi circumscriptum est, ut omnes fatentur, eius est ire ac moueri localiter: at si ubiq; fuit (ut uos existimatis) non potuisset localiter moueri.

Vigilius contra Eutychen lib. 1. Iam hinc argumentari non opus est, ubi se ipsa ueritas prodit. Verbum Dei excubiorum officio non eguit, anima sepeliri non potuit: sola igitur caro sepulturæ officium habuit, & tamē Dominum Iesum Christum sepultum Apostolica authoritas docuit. Cernis ergò aliquid proprium esse carnis, quod uerbi esse non possit: sed ideo etiam uerbi esse, quia uerbi est illa caro, cui possunt hæc omnia aptius conuenire. Idem Vigilius lib. 4. contra Eutychen. Vnde constat & diuinitatem humanitatis habere uocabulum, id est, uerbum dici carnem, & carnem dici uerbum, non quia in se utrunq; mutatum sit, sed quia utrunq; una persona, id est, unus Christus sit, & ideò rectè credimus et prædicamus cum Apostolo, Deum crucifixum & mortuum in natura humana, quæ ex uniti uerbi consortio, deitatis poscit & nomē. Ipse igitur unus, idemq; Dei filius Dominus Iesus Christus & mortuus est secundum formam serui, & nō est mortuus secundum formam Dei, &c. Item lib. 5. con Vigilius.

tra Eutychen, Perſpicuè enim is & cõmunionem operis & proprietatem utriuſq; naturæ deſcripſit, dum & caro propter Verbũ de cœlo deſcendiſſet, & Verbum propter carnem mortem ſubiiſſe diuina teſtantur eloquia, cùm nec caro de cœlo deſcenderit, nec Verbum mori potuerit.

Ambroſius Ambroſius de Fide lib. 2. cap. 4. Amodò uidebis filium hominis ſedentem ad dexteram uirtutis. Et hoc de aſſumptione corporis dicit. Hinc dicit, Sede ad dexteram meam. Nam ſi de æterna ſede diuinitatis quæris, interrogatus à Pilato, ſi ipſe eſſet rex Iudæorum, ait: In hoc ſum natus, &c. Et mox: Propter rationem ergò corporis dicit: Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum, &c. Non ergò ſeßio ita eſt hominis, ut deitati non communicetur, cùm ſit infinita. Et ibidem: Neq; enim Deus de loco ad locum tranſit, qui ubiq; ſemper eſt. Vt hoc eſt qui uadit, ipſe qui uenit. Deniq; & alibi dicit, Si egite eamus. In eo ergò uadit & uenit, quod eſt commune nobiſcũ. Nam quomodo poteſt minor eſſe Deus cùm Deus perfectus et plenus ſit? ſed minor in natura hominis: & miraris ſi ex perſona hominis patrem dixit maiorem, qui in perſona hominis ſe uermem dixit eſſe, nõ hominem? &c. Hîc duo notantur. Primùm, quòd ueri de loco ad locum ita proprium eſſe hominis, ut Deo non communicetur. Deinde minorem eſſe patrem ſic eſſe humanitatis, ut diuinitati aſcribi non poſſit.

Auguſtin. Auguſtinus in Ioan. Tract. 78. Neq; enim hoc Chriſtus non dicitur filius Dei, quod etiam ſola ei eius in ſepulchro meruit appellari. Nam quid

confitemur cùm dicimus, credere nos in unigenitum Dei Filium, qui sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus? Et quid eius nisi caro sepulta est sine anima? Ac per hoc cùm credimus in Dei Filium qui sepultus est, profectò Filium Dei dicimus & carnem quæ sola sepulta est.

PAN. Verbũ Dei profectò est (ut dicis) impassibile atque immutabile, attamen propter hypostaticam unionem κόν (ut sic dicam) non aliter afficiebatur, ac si pateretur & moreretur. ORO. Nisi particulam interposuisses, Vt sic dicã, loquutionem tuam ut alienam repudiassem. Verbum quippe Dei non affligitur, quandoquidem nullo modo immutatur. Causam igitur habes cur scripturæ atque Patres hisce sermonibus interdum utantur, quod personam in eis potissimum attendant. Nec sanè fieri poterat propter duarum naturarum unitatem, quin hypostasis diuina morti & passioni adesset. Verùm ut prudentissimè dixit Iræneus, Verbum aderat & quiescebat, Non utique moriebatur per se, neque patiebatur. Quemadmodum anima nostra morienti homini, seu carni adest, cùm tamen ipsa reuera non moriatur. Proinde fateamur Christum esse passum, & mortuum, sed carne, ut inquit Petrus, uel quatenus homo: utq; Hieronymus ait, Quatenus mori poterat. Hæc utique simplex est & regia uia, nec fidelibus tutum est ab ea uel in sinistram uel in dextram partem deflectere. Cyrillus paulò uehementior fuit in loquutionibus iam allatis exaggerandis, quia ipsi certamen erat aduersus Nestorium, qui naturas discerpebat, non aliam coniunctionem a-

Verbum aderat patiẽti homini, sed non patiebatur Iræneus.

Hieronymus.

Vnde Cyrilli uehementia.

gnoscens naturæ diuinæ cum humana, quàm per mer
tum, & quæ post hominem qui assumendus erat, iam
actu existentem contigerit. Nos autem à Nestorio pl
rimum & distamus & abhorremus, ut qui sentiamu
naturam Christi humanam absque diuinitate uel in ip
so beatæ uirginis utero nunquam fuisse: unde illi ado
ptionem minime concedimus, quemadmodum cæteri
sanctis. Nam qui adoptantur in aliquam familiam, ne-
cesse est ut ab ea prius fuerint alieni: at homo assum
ptus ex uirgine nunquam fuit absque diuinitate. Re
qui uerò sancti nascuntur filij iræ: atque cùm ob natu
ræ deprauationem à Deo sint alieni, ex inimicis &
peccatoribus in adoptionem filiorum asciscuntur. Pr
inde confitemur filium Dei natum ex Beata Virgine
ac Mariam θεοτόκον appellare non dubitamus. En
nim Leo ad Iulianum episcopum scripsit, Nihil sec
Dominus de cœlo ueniens nostræ conditionis exhib
it: nec animam enim, quæ anterior extitisset, nec ca
nem, quæ non materni corporis esset, accepit. Natu
quippe nostra non sic assumpta est, ut prius creat
post adsumeretur, sed ut ipsa assumptione creare
&c. Maria itaque peperit hominem hypostatice co
iunctum Deo. Quam unionem ita ut sit Cyrillus, u
primo, doctrina eius improbaretur. Nam sic loque
tur, quasi putaret ipsum Verbum Dei propriè pas
& martuũ esse. At cũ postea suas dicendi formula
terpretatus esset, ut fidelis et sanus doctor habitus
Cæterùm cùm deinde in Concilio Chalcedonensi E
ches damnandus esset, qui unam duntaxat in Chri
naturam fingebat, Verbum Dei statuens uersum
carn

Humanitati Christi adoptio nõ tribuitur.

carnem, ac re ipsa & uerè passum, crucifixum, & mortuum in sua natura, cautius actum est, in sermonibus, dictis, & loquutionibus paulò antè allatis: & declaratum est Christum esse passum & mortuum, quà homo, sed non quà Deus. Atque hac de re Theodoretus uir doctissimus, nec minus orthodoxus, qui omnibus hisce actionibus interfuit, dialogos pulcherrimos & utilissimos conscripsit. Proinde nos cùm istam coniunctionem ἰδιωμάτων, quorum non est capax natura humana seu diuina, uerbalem sentiamus, uerùm ita uerbalem, ut solidam radicem, firmumq; fundamentū habeat hypostaticam unionem: non inde consequitur nos dicere Christum uerbis tantummodò esse Deum. Confitemur quippe illum reuera Deum, & quo ad naturam diuinam patri consubstantialem: quamuis humana eius natura non est diuina. Tu uerò Pantache satis contumelioſe colligis ex nostris dictis, Christum esse nobis Deum nuncupatiuum. Quis posset id uerisimiliter suspicari de nobis, qui clarissimis uerbis testemur, nusquam existere in Christo naturam humanā, nisi hærentem in persona diuina? Nec magis candidè ac uerecundè conficis ex nostris dogmatis, Christū nō esse passum reuera, sed tantùm sermone. Respondeas obsecro te per tuam ubiquitatem, si animo intelligo non corpore, & esurio corpore non animo, an propterea tantùm sermone uel esurio uel intelligo? Ita cum Christus dicatur à nobis uere passus & mortuus, quatenus homo, non potes rectè conficere illum tantummodo sermone passum & mortuum. Possem facile in te regerere allatas iniurias: uerùm me reprimo,

Quomodo credendum sit uerbum Dei passum aut non passum.

nequid mea lenitate indignum audias. Id esto satis, iam te potuisse de me cognoscere, quòd licet negem uerbum Dei re ipsa mortuum & passum, non tamen affirmo paßionem & mortem ad illud nihil attinuisse: nam paßioni & morti (ut dictum est) ob hypostaticam unionem aderat, quamuis quiescebat: nec ulla paßione, seu noua qualitate afficiebatur. Qua propter non uano sermone passus est & mortuus filius Dei, cùm ea natura & caro uerè ac re ipsa pateretur & moreretur, quam sibi propriã fecerat, & cui personæ unione aderant. Non tamen unquam dicerem, quod tu affirmare soles, λόγον, seu Verbum ipsum, uerè ac re ipsa, & passum & mortuum. PAN. Sed addere consueui, Non quidem ex natura deitatis, sed ex natura humanitatis, cui λόγος hypostaticè est unitus. Cyrillus uerò prorsus mecum facit, qui scribit, Paßio dispensationis erat, sua quidem dicente uerbo, quæ sunt propriæ carnis, propter inenarrabilem unitatem: Manente uerò extra paßionem, quantum ad ipsius naturam pertinet. Impaßibilis enim Deus est. Neque id mirum, cũ etiã animã ipsam hominis uideamus, si quid corpus passum fuerit, extra paßionem quidem manentem, quantum pertineat ad naturam: attamen non extra paßionem esse intelligi, eo quòd proprium sit corpus ipsius, quod patitur, &c. Hæc Cyrillus. ORO.

λόγος ex natura humana est passus non ex diuina quomodo intelligatur

Cum affirmas λόγον pati & mori, expositione addita, id non fieri ex natura deitatis, sed ex natura humanitatis, uideo tuam expositionem duplicem sensum admittere. Primus quidem est, ut intelligas filium Dei mortuum & passum, ita ut paßio & mors à natura humana

humana sint orta, sed tamen ita ut etiam usque ad ipsum Verbum peruenerint, & sic peruenerint, ut uerè sit passum & mortuum. Quem sensum olim in Concilio Ephesino Cyrilli nonnulla uerba præ se ferebant, quibus permulti grauissimè offendebantur. Siquidem extra controuersiam esse debet, Verbum impassibile esse ac immutabile. Quamobrem nec ego talem sententiam recipio. Neque à Cyrillo seipsum interpretante discedo: & utrique Concilio, Ephesino inquam & Chalcedonensi fideliter adhæreo, quatenus de ista controuersia statuerunt. Alter sensus est, quem nos adhibere solemus, cum dicitur, Christus passus est & mortuus non ex natura deitatis, sed ex natura humanitatis, nimirum passionem & mortem ex natura humana esse profectam, & in ea terminatam, eo quòd ad Verbum ipsum non permearit, neque penetrauerit, quia id neque mori, neque pati potest. Si autem mori aut pati dicatur, id est, quòd natura, quã fecit suã per incarnationẽ, moriebatur et patiebatur. Id aũt Cyrillus eo loco quẽ adduxisti luculẽter expressit, scribendo. Dicẽte Verbo illa esse sua, quæ sunt ꝓpria carnis, etc. Nec mentitur, dicendo ea sua, cum sint eius carnis quã hypostatica unione assumpsit. Ita profectò et de ubiquitate loquendũ esset, ut cùm dicitur fortassis ab aliquo ex Patribus, si tamen dicitur, corpus Christi esse simul in multis locis aut ubiq;, intelligamus, quia inest et substẽtatur in ea natura seu hypostasi quæ est ubiq;, cùm tamẽ ipsum corpus nec in multis locis, nec ubique sit: nõ enim ad ipsum pertingit ubiquitatis proprietas, cùm ei sit necesse loco certo esse, propter cor

poris modũ. Sicut filius Dei dicitur mortuus propter naturam humanam, quam ſubſtentat, cùm ipſe re vera in ſua natura non ſit particeps mortis.

Vt uerò natura diuina ſeu Deus Verbum non ſit capax mortis, nec reipſa potuerit dici mori, aliquot patrum ſententijs confirmabo.

Ambroſius. Ambroſius De Fide ad Gratianum Auguſt. lib. 2. cap. 4. Vndè illud collectum eſt, Dominum maieſtatis crucifixum eſſe, non quaſi maieſtate ſua crucifixum putemus, ſed quia idem Deus per diuinitatem Deus, per ſuſceptionem carnis homo Ieſus Chriſtus, Dominus maieſtatis dicitur crucifixus, quia cõſors utriuſque naturæ, id eſt, humanæ atq; diuinæ in natura hominis ſubijt paßionem, ut indiſcretè & Dominus Maieſtatis dicatur eſſe qui paſſus eſt, & Filius hominis, ſicut ſcriptum eſt, Qui deſcendit de cœlo. Per naturam igitur hominis & dubitauit, & tæduit, & reſurrexit. Quod enim ceciderit, hoc reſurgit. Per naturam hominis dicit etiam illud de quo calumniari ſolent, Vado ad patrem: quoniam pater maior me eſt. Quomodo dixit niſi per mortem, & uenit niſi per reſurrectionem? &c.

Theodoretus. Theodoretus Dialogo 3. qui dicitur Impatibilis. Quãdo ergo dicit ſacra ſcriptura, Extulerunt autem Stephanum uiri pij, & fecerunt planctum magnum ſuper eum, dicẽsne animam unà cum corpore eſſe ſepulturæ mandatam? Nequaquam. Et quando audieris Iacobum Patriarcham dicentem, Sepelite me cum patribus meis, de corpore an de anima hæc dicta eſſe exiſtimabis? Clarum eſt quod de corpore. Dicitur etiam,

lic ſepelierunt Abrahamum & Saram uxorem eius, & illic ſepelierunt Liam. Et ſanè in ijs quæ legiſti, corporis non meminit ſacra ſcriptura, ſed per nomina animam ſimul & corpus ſignificauit. Nos autem rectè diuidimus, & dicimus animas eſſe immortales, ſola autē corpora Patriarcharum eſſe in duplici ſpelunca depoſita. Et quando audiuerimus Actuum hiſtoriam narrantem, quod Herodes interemit Iacobum fratrē Domini gladio, neutiquam animam mortuam eſſe exiſtimabimus. Non ergò tibi uidetur ualdè impium & miſerum eos quidem, qui hominum nomina audiunt, non ſemper animam ſimul & corpus intelligere. Nec cùm ſcriptura de morte et ſepulchro loquatur intelligere, quod unà cum corpore animam comprehendat, ſed ea ſoli corpori conuenire putare, ſcire autem immortalitatem animæ Domini doctrinæ credētes. Qui autem filij Dei paßionem audiunt, ne hoc quidem facere, ſed corporis quidem, cui conuenit paßio minimè meminiſſe, diuinam autem naturam quæ eſt impatibilis, & immutabilis & immortalis uerbis ſuis mortalem & patibilem oſtenderet. Idq; cùm ſciant, quod ſi pati poſſet Dei Verbi natura, fuiſſet ſuperuacanea corporis aſſumptio. Idem in eodem Dialogo: Paßio autem quid eſt aliud quàm uerſio & mutatio? Si enim qui ante incarnationem erat impatibilis, poſt incarnationem paſſus eſt, mutationem utiq; ſuſtinens paſſus eſt. Et ſi qui antequam homo fieret erat immortalis, poſtquàm homo factus eſt, mortem guſtauit, ut uos aſſeritis, poſtquā homo factus eſt, omnino mutatus eſt, mortalis ex immortali factus. Sed huiuſmodi uita, eorumq;

parentes & autores, benedicti patres à sacris coetib
in Synodo Nicæna exterminant, & tanquam putrid
membra à sano corpore resecant. Præterea ibide
sic scribit: Sed nos apertè ostẽdimus, nullo modo po
mortis esse particeps, quod est natura immortale. I
que enim anima, quæ unà cũ corpore creata, eiq; co
iuncta est, & cum eo peccati fuit particeps, potuit
eo mortis habere societatem propter solam natu
immortalitatem, &c. Adhæc Dial. 3. Diuus Petr
in sua Catholica, Christũ carne passum esse dicit. Q
autem Christum audit, non incorporeum Deum V
bum intelligit, sed incarnatum. Christi ergò nom
utranq; naturam significat. Illud autem carne adi
ctum passioni, non utranq;, sed alterutram passam e
designat. Qui enim audit Christũ carne passum, c
rursus ut Deum impatibilem intelligit: soli autẽ ca
passionem tribuit.

Fulgentius. Fulgentius ad Trasimundum lib. 3. Hoc igitur pe
sonæ inseparabilis unitas, in qua Deus & homo u
est Christus, fecit, ut et homo Christus per gratiam
sceretur ex Deo salua ueritate ac plenitudine hum
næ naturæ. Et idem Deus Christus uoluntariè pate
tur in carne, salua impassibili plenitudine diuinæ s
stantiæ, &c. Et mox: Hæc dum quidam minus at
dunt, diuinitatem Christi non dubitano subijcere p
sioni, & audientes Christum in carne passum, pu
Deum carni fuisse compassum, minus attendentes
uinam illam atq; immutabilem Filij Dei substanti
& in carne passibili passionem suscepisse, & cum c
ne passionem sentire non potuisse, &c. Et mox: I
secu

*Secundum susceptam animam Deus tristis fuit, sed in anima tristitiam sensit, cùm anima tristitiam sentire non potuit. In sua Deus anima suam uoluit esse tristitiam, & in sua carne suam Deus esse uoluit passionem, quia totus in toto homine permanens inseparabilis Deus, nec animæ tristanti defuit, nec carnem sua impassione deseruit. Sed in Christo tristi & passo licet deitatem separare non posset patiens & tristis humanitas, in toto tamen homine tristi non est diuinitas tristata, & in homine toto patienti non est diuina natura compassa. Sicut moriente carne non solùm deitas, sed nec anima Christi potest ostendi commortua. Aliud est enim in carne passum Deū dicere, aliud carni prædicare compassum: aliud in anima contristatum, & aliud cum anima contristatum. Passus est Deus in homine, quia una est Dei hominisq; persona. Nō est compassus Deus homini, quia in uno Christo non est confusa Dei hominisq; substantia.* Et *mox:* *Christi diuinitas, quia uerum hominem suscepit, ideò cunctas naturæ humanæ infirmitates, ueras quidem, sed uoluntarias in eadem ueritate naturæ (duntaxat humanæ) sustinuit. Quis autem tam mortiferam sectetur improuidus de Christo sententiam, ut famem illam, sitim, lassitudinem, passionem, mortem, & rursus tristitiam, perturbationem, metum & tædium (quæ carnis & animæ esse nemo potest aliquatenus dubitare) sic uera fuisse credat in natura hominis, ut ab his immunem nō credat substantiam deitatis? &c.* Et *mox:* *Veruntamen cum sola caro moreretur & resuscitaretur in Christo propter unitatem personæ Dei & hominis, filius Dei dicitur mortuus, &c.*

Reſtat nunc ut ueniam ad Cyrilli ſimilitudinem de Anima, quæ mihi non diſplicet, ſed uehementer pro-

Simile Cyrilli de anima & corpore.

tur. Ea, ſi quid corpus paſſum fuerit, extra paßion manet, quantum ad eius naturam pertinet, atta nec extra paßionem eſſe intelligitur. Quare? Q corpus, inquit, quòd patitur eſt proprium eius. Ita ſus eſt λόγος, quia natura patiebatur, quã ſuam priam fecerat. Simile nihilominus fuiſſet expre adductum de morte, quòd anima ſit & ipſa qui dam paßionibus obnoxia, minime uerò morti. Re mors tantummodò in corpore, ad animum autem habet acceſſum, cùm omnino ſit immortalis. Ex re quidem oritur, ſed etiam in eo deſinit.

Cum uerò de communicatione proprietatum naturam humanam & diuinam Chriſti permuta dixerim, & complura loca ex patribus adduxe

Seuerianus.

ad meã confirmandã ſententiã, adhuc non pauca occurrũt, quæ (ut iudico) nõ ſunt prætereũda. Seu nus epiſcopus Gabalarũ de natiuitate Chriſti, T doreto referente Dialogo 2. ita ſcripſit: Talis quoque Chriſtus natus cœleſtis & terreſtris, qui tinebat & non continebatur, qui uidebatur & ſ ſum non cadebat, cœleſtis ſecundũm naturam di tis, terreſtris ſecundũ naturã humanitatis, uide ſecundũ carnẽ, non uidebatur ſecundũ ſpiritũ: et nebatur quo ad corpus, quantũ autem ad Verbũ net contineri non poterat, &. Hinc iam uides re quaſdam eſſe proprietates naturæ diuinæ, quæ h nitati non communicantur, & quaſdam ſic eſſe b

Euſtathius.

nis, ut in deitatem transfundi non poßint.

Eustathius Antiochænus episcopus ex libro de Anima, eodem referente authore, ait. Si enim est incorporeus nec manuum tactui cedit, nec sensibus, neque oculis apprehenditur, non accipit uulnera, non clauis configitur, non est mortis particeps, non terra conditur, non sepulchro includitur, non surgit ex monumento, &c. Hæc quoque dicta ostendunt, quæ nam sic humanæ naturæ sint, ut uerbo non communicentur.

Augustinus.

Et Augustinus ad Dardanum: Sicut ergo potuit recte dici dominus gloriæ crucifixus, cum ad solam carnem illa passio pertineret, &c. Is quoque dicit passionem tantummodo ad carnem pertinuisse. Prædicantur quidem hæc ἰδιώματα de utraque natura, quamuis reipsa tantùm ad alteram pertineant: quæ nisi quis prudenter animaduertat, in diuinis literis periculose hallucinabitur. Dicit Christus in Iohãne cap. 6. Cum uideritis filium hominis ascendentem, humanitati hoc tribuatur: ubi erat prius, nimirum quo ad diuinitatẽ. Item cap. 1. Hic est de quo dicebam, qui cum me sequeretur, scilicet iuxta hominẽ, antecessit me: quia prior me erat, nimirum iuxta diuinitatem. Item Iohannis 16. Exiui à patre & ueni in mundum, hoc de ipsa deitate solum accipiendum est: Præterea, Relinquo mundum & uado ad patrem, Hæc ad humanitatem attinent. Adhæc, Ille me glorificabit, scilicet quo ad humanitatẽ: Deinde, Quia de meo accipiet, nempe ut Deo & Dei filio. Dicuntur hæc in scripturis quæ attuli confuse de ipsa persona Christi: sed ita sunt propria uni eius naturæ, ut alteri nõ queãt attribui, nisi quo ad uocem & loquendi formulam. Vnde Cyrillus in Iohannem lib. 1. cap. 4. rectè scripsit:

Cyrillus.

Quare fit ut multa nõ ut dicãtur, sed ut rebus cõ[illegible]
intelligantur. Idem pater in Dialogis de trinitate [illegible]
5. scripsit, Igitur quando aliqua minora sunt, q[illegible]
gloria Dei requirat, nec transcendunt naturã fact[illegible]
dicunturq; de filio, ne ineffabilẽ statim ex patre [illegible]
priè naturam cogites, sed feliciter uade, quo con[illegible]
rationum scopus tendit. Neq; ea quæ proprie dei[illegible]
sunt, humanitatis adscribas conditionibus. Neque [illegible]
manitatis paruitatem summæ naturæ tribuas, q[illegible]
li proprie agnatam: sed discretam, & idoneam [illegible]
quoque dictionem fieri scias. Sic enim poteris & [illegible]
aliter, certißimam contemplationem capere, & [illegible]
hac regula Pantache utereris, nõ omnes proprie[illegible]
re ipsa utrique naturæ communicares. Idem Cy[illegible]
in epistola ad Iohannem Antiochænum ait: Præt[illegible]
& impaßibile esse uerbum Dei confitemur o[illegible]
etiam si sapientißimè mysterium hoc dispensa[illegible]
ipsi quæ propriæ carni acciderunt paßiones ad[illegible]
re uideatur. Hactenus & sapientißimus Petrus, [illegible]
sto igitur, inquit, in carne pro nobis passo: nõ di[illegible]
natura inenarrabilis diuinitatis. Vt enim ipse [illegible]
um credatur esse seruator, secundum dispensato[illegible]
appropriationem, propriæ carnis paßiones (sic[illegible]
xi) ad seipsum refert, &c. Constat iam hinc paß[illegible]
Christi fuisse carnis: de Verbo autẽ dici, quate[illegible]
sum illas ad se retulit. Sunt itaq; illius existimati[illegible]
ac prædicatione scripturarum, non quod ipsum [illegible]
bum reipsa mortuum & passum fuerit. Cyrillus [illegible]
diceret Verbum passum carne, multorũ offensio[illegible]
incurrit. Quare se purgans anathematismo 12. sc[illegible]

praui—

Cyrillus.

Declaratio qua Cyrillus seipsum exposuit.

sit. Quia autem dicimus proprium eius corpus esse, quod ex sancta uirgine assumptum est, eam ob causam iustissimam, carnis passiones eius esse dicimus secundum dispensatiuam appropriationem, seruata ubique natura eius impassibili. Deus enim est ex Deo. Quando igitur carne dicitur pati, non ipse in propria natura intelligitur pati: ipsius enim factum est unitum sibi corpus, sicut dudum dixi, &c. Affirmat igitur & ipse uerbum in sua natura non esse passum. Cyrillo adiungere licet Theodoretum, qui 3. suo Dialogo ita scribit: Quecunq; diuina nomina dimisit scriptura libera à passione, tu quoq; ea libera esse finito, nec eis passionem tribue. Huic uocabulo Deus nequaquam passionem adiunxit, &c. Et Mox: Non recipit istam loquutionem, Verbum fuisse passum carne. Nam ait, Sic dicimodum passionis non impatibilitatem. Hoc autem ne de humana quidē anima dixerit quispiam. Quis enim dixerit, nisi ualdè delirus, quòd anima Pauli mortua est carne? Hoc ne de homine quidē improbissimo ac sceleratissimo diceretur. Sunt enim etiam malorum immortales animæ. Sed illum quidem uerbi gratia homicidam interemptum esse dicimus, eius autem animam nemo dixerit occisam esse carne, &c. Cōcedit tamē is author Christū esse passum carne, unà cum Petro, Verbum autem passum carne, minimè recipit. Causa uerò huius confusionis uocum, & communicationis proprietatū à Nazianzeno traditur, In Expositione priori ad Clydonium, dicente, Si quis dicit carnem Domini de cœlo descendisse, & non ex nobis hinc esse, anathema sit. Illud enim, Secundus homo è cœlo. Et, Qua

Theodoretus.

Nazianzenus.

lis cœlestis tales & cœlestes Et, Nemo ascendit
cœlum nisi qui descendit è cœlo, filius homi
& si quid aliud est huiusmodi, existimandum est
propter unionem cum homine, quemadmodum et
Christum omnia facta esse, & habitare Christ
cordibus nostris, non quà Deus apparet, sed quà
ligitur, cõfusis ut appellationibus ita etiã naturis,
Confusis inquit naturis, non re ipsa, sed nostra
rali, nec distincta intelligentia, & confusis nostro
articulato & indistincto sermone. Mens huius
tris est. Quia naturæ sunt coniunctæ, ideò sequi
fusio appellationum, & uocabula uerbaq; propri
tum de utraq; natura dicuntur, non quod re ipsa
nes proprietates in utraq; natura insint. Ostend
idem doctor in 2. Oratione de Filio, istam comm
tionem, de qua nunc agitur, esse quoad uoces
quendi formulas. Dicit enim, Et hoc est quod fac
rare hæreticos, nominum coniunctio. Signum
hoc est, quòd quando naturæ intelligentia seiu
tur, unà quoq; nomina diuiduntur, &c. Cernis
obscuritate agi, quæ nonnunquam occurrit in
rarum dictis, ea uerò facilè tollitur, cum intelli
nostra distinguimus Christi naturas, quia tunc
prietates & uocabula cuiq; naturæ applicam
conueniunt. Iuxta eandem sententiam scribit
ter in eadem oratione, Et hoc est, quod in eau
errent hæretici, nominum coniunctio. Signum
est, quod quãdo naturæ intelligentia seiungan
duntur etiam nomina. Audite Paulum dicente
Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ,
q

quidem Deus, pater autem gloriæ. Et si enim utrunq; simul unum, sed non natura, eorum autem congressus & coniunctionem quid potest esse notius? Quin tum dicatur ipsum accipere uitam, iudicium, hæreditatem gentium, potestatem omnis carnis, gloriã, discipulos, uel quæcunq; dicuntur, et hæc sunt humanitatis, &c. Hic quoq; animaduertis nominum esse coniunctionem nõ proprietatum. Deinde quasdam esse proprietates uni tantum naturæ congruentes, nõ alteri, licet id scriptura non distinguat, ostendit eruditißimè Theodoretus exemplis ab animo & corpore hominum ductis: ita quippe Dialogo 3. loquitur. Quando audierimus sacrorum Euangeliorum historiam declarantem, quòd obtulerunt Deo paralyticum in lecto iacentem, partium ne animæ dicimus fuisse solutionem, an corporis? Non utiq; animæ. Et quando epistolam ad Hebræos legentes, inuenerimus illum locum ubi dicit Apostolus, Propter quod remissas manus, et soluta genua erigite, & rectos gressus facite pedibus uestris, ut non quod claudicat auertatur, magis autem sanetur: de partibus ne corporis dicemus hæc sanctum Apostolum dixisse? Nullo modo. Sed animæ timiditatem et ignauiam eum auferre dicemus, & ad uirtutem & animi magnitudinem incitare discipulos. Sed non inuenerimus hæc sacra scriptura distingui. Neq; enim cùm Isaac narrasset cæcitatem, corporis meminit. Sed Isaac absolutè dixit esse cæcum. Nec cùm prophetas nominasset uidentes, dixit eorum animas uidere, et intueri quæ occulta sunt, sed ipsarum tantùm personarũ meminit, &c. Et mox: Nos autem sensum uerborum scrutantes, cognos-

Theodoretus.

Non solvitur unitas hypostatica, licet non omnes proprietates communicentur.

scimus quæ nam animæ, et quæ nam sunt corporis pro-
pria: quia rationis facultate præditos nos fecit Deus.
Hac ergò ratione in eo qui nos fecit, & seruauit ut
mur, et agnoscamus quæ nam eius humanitati, et quæ
diuinitati conueniunt. Nec timenda est unionis dissolutio. Nam cum in Isaaco, prophetis, & paralyticis
fecimus, naturalem animæ & corporis unionem non
soluimus: nec à proprijs corporibus animas separa-
mus, sed sola ratione discreuimus, quid sit propriè
animæ, quid corporis. Quomodo ergò non est miser-
nos qui hoc in animis & corporibus facimus, id in
uatoris nostri corpore facere recusare, & natu-
cõfundere, quæ habent inter se differentiam, non quæ
tam habet anima ad corpus, sed quantum distat quod
est recens ab æterno, & quod factum est ab eo qui fe-
cit? &c. Quis non uideat in commemoratis exem-
quasdam proprietates ita corporis esse, ut ad animam
nõ attineant, et uicißim alias animi sic esse ut corpori
non queant communicari? nec tamen ob id animi
corporis hypostatica unio soluitur.

Ex hoc eodem scriptore alia multa possem affer-
testimonia, quibus ostederem, naturarum unionem
nimè solui, licet omnes proprietates inter utrãq;
communicentur: Nec non communicationem Mar-
tyrum potius quo ad uocabula et phrases esse anima-
sam, quàm quòd ipsæ qualitates & attributa inter
turas confundantur. Nec pauci fuerunt ex Patri-
qui disertis uerbis hoc tradiderunt, non dissolui na-
rarum unitatem, licet inter eas non fieret [illegible]
communicatio omnium proprietatum. Ideò non [illegible]

Non semp, ut [illegible] Babilonica
fugienda est Ratio

bit eorum dicta recenſere.

Ambroſius de Fide ad Gratianũ lib. 2. cap. 4. Nam paulo minus minoratum ab angelis uidemus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatam, ut ſine Deo pro omnibus guſtauerit mortem, &c. Quod Græcè ſcribitur χωρὶς θεοῦ, uidetur legiſſe Ambroſius χωρὶς τοῦ θεοῦ. Quin & Vigilius lib. 2. contra Eutychen eodem modo ut Ambroſius legit, Vt ſine Deo pro omnibus guſtaret mortem. Et mox in eodem loco: Quàm benè autem poſuit Apoſtolus, quod ſine Deo pro omnibus guſtauerit mortem, ne diuinitatis illam paſſionẽ putaremus fuiſſe, non carnis. Ergo mors non eſt communicata deitati. Ambroſius.

Vigilius libro 1. contra Eutychen: Sed ne adhuc de his proprietatibus dubites, audi manifeſtius. Proprium patris genuiſſe, & proprium filij natum fuiſſe, proprium uerò eſt ſpiritus ſancti procedere, nec omnino reciprocari alteram perſonam, quod eſt unicuique perſonæ peculiariter proprium. Si ergo hæ tres perſonæ habentes ſingulæ proprietates ſuas, quibus ſignificandæ diſtinguantur, non quibus ſeparentur, unus eſt Deus, quomodo filius ſalua utriuſque naturæ proprietate, non unus eſt Chriſtus? Nam & in homine, ſi ſubtilius diſputare uelimus, pleraque inuenies ita proprietate quadam ſequeſtratius diſtincta, ut ſi & ibi calumniari uolueris, de uno homine multos homines facias. Hominem ergo per ordinatas corporalium membrorũ diſtinctiones quinque cõſtare ſenſibus nemo eſt qui neſciat, qui ſenſus ita offĩcij ſui proprietatem naturaliter obtinent, ut nihil ſe- Vigilius.

cum habere commune, nihil sibi de alterius ualeat
dicare. Et ut omnia specialiter cõmemorem, Visus
ministerij sui proprium officium gerit, ut nec audi
nec odorare, nec gustare, nec contrectare possit. A
tus ita naturæ suæ administrat officium, ut nec vid
di, nec odorandi, nec gustandi, nec contrectandi
cium subeat. Odoratus quoque sic famulatus sui
cio fungitur, ut nec uideat, nec audiat, nec gustet.
stus etiam, nec uidet, nec odoratur, nec contre
Tactus denique qui est ultimus sensus, nec uisione
tur, nec auditum percipit, nec odorem capit, nec
stum discernit. Et cum sint hæ omnes membrorũ
cies tam diuersæ, tam discretæ, ita naturalibus pr
etatibus substitutæ, ut nihil communionis, nihil se
tatis ad se inuicem habeant, sed priuato quodam
litario iure propriæ functionis ministerium
ant: unus tamen idemq; est homo, qui commodè
que corporalibus sensibus uaria proprietate á se
cem differentibus constat: ita quinque secundum
rum deliramenta personas habere debuerat, ut qu
sunt proprietates sensuum, tanta esset & numer
tas personarum. Dehinc media affici, comedere,
& bibere, sedere & incedere, cubitum ire & d
no surgere, algorem perpeti & æstibus uri, licet
sunt animæ passiones ut ea aut patiatur, aut ag
men hæc carnis sunt propria. Item sapere, intel
obliuisci, in memoriam reduci, lætitia efferri, tri
dejici, mansuescere lenitate, furore atque ira im
scere, & quamplura his similia, quæ persequi lon
est, licet non sine corpore agantur in anima, tamen

me ſunt propria: nec tamen quiſpiam auſus eſt uel audet dicere, hominem duas perſonas habere, in quo tantas proprietatum differentias cernit ineſſe, &c. Cogitemus in ijs uerbis hominem eſſe commune ſubiectū, & de illo rectè dici quod audiat, uideat, olfaciat, guſtet & tangat. Et nihilominus uiſui non damus ut audiat, nec auribus ut uideant: & nihilominus manet ſalua eadem perſona. Ita Chriſtum credamus unam eſſe perſonam duarum naturarum, per quarum alteram ſit certo loco & per alteram ubique. Et licet humanitas non ſit ubique, nec diuinitas certo loco teneatur, manet attamen ſalua unitas perſonæ, nec diuiditur.

Idem lib. 4. contra Eutych. Miror autem quomodo non hac exiſtimatione Apoſtolum quoque Paulum accuſaueris: quia & ipſe duo quædam eſſe dixit in uno homine, uiciſſim quæ ſua ſunt propria operantes et contra ſe inuicem nitentes, ſpiritum uidelicet & carnem. Hæc, inquit, ſibi inuicem aduerſantur. Sicuti ergo unus eſt homo in quo ſunt duo quædam in ſe inuicē permanentia & ſua quæq; propria operantia, nec poteſt alius dici, dum ſecundum carnem ſapit, et facit, & alius dum ſecūdum ſpiritum uiuit, ſed idem ipſe eſt in utroque, habens in ſe utrunque. Præterea eodem lib. 4. Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere. Oſtendens in unoquoque noſtrum unum eſſe mortalem, & alium immortalem. Caro quippe in nobis moritur. Vnde & in ſymbolo Carnis reſurrectionem non Animæ confitemur, quam eſſe immortalem credere iubemur. Quia ergo Seruator in uno homine duo iſta diuiſit, quibus & proprie-

tatem qualitatis assignauit, ideo putandus est
hominem in duos homines diuisisse? Si ergo
homo, qui moritur ex uno, & non moritur ex
certè unus est Christus qui mortuus est ex
non est mortuus ex Verbo. Quia secundū natur
in eo mortalis fuit, mori potuit: secundum il
tem quæ in eo mori non potuit, semper
permansit. Adhæc contra Eutychen lib. 5. Sed
timum decreti capitulum uideamus ex decreto
di Chalcedonensis. Vnum eundemq; Christum
nitum confitemur in duabus naturis inconfuse,
uertibiliter, indiuise, inseparabiliter cognos
Nusquam duarum naturarum diuersitate
propter unionem, salua magis proprietate utri
naturæ in unam personam atque substantiam
nientibus, non ut in duas personas diuisum aut
gatum, sed unum eundemq; unigenitum Filiū,
Verbum, Dominum Iesum Christum. In hoc
hoc eis displicent, quo dixerint, salua proprie
triusque naturæ uel non euacuata naturarum
rentia, &c.

Ex ijs iam potes cognoscere unitatem duar
turarum in una persona conseruari, quamuis
nes proprietates utrinque communicentur.
tur etenim omnes deitatem non suscipere pa
sed naturæ humanæ fuisse, ut pateretur & m
tur: nihilominus tamen seruata est hypostatica
Ad eundem modum sentiendum est, huma
non esse participem ubiquitatis, licet diuinitas
sit. Neq; propterea hypostatica unio soluitur,

Sed redeo ad Cyrillum. In expositione Symboli Nicæni, quæ habetur in Concilio Ephesino, Pagina 546. ubi sic ait: Inueniemus igitur dicentem diuinum Baptistam, Post me uenit uir, qui antè me factus est, quia prior me erat. Deinde quomodo qui post ipsum erat, prior eo fuit? Quia enim Christus secundum tempus carnis tardius uenit quàm Iohannes, quomodo non omnibus manifestum? Quid igitur ad hæc dixerit quis? Soluit nobis ipse saluator q̃ quæritur. Dicebat enim Iudæos alloquẽs, Priusquam Abraham fieret ego sum. Nam erat quidem & ante Abrahã, diuino more, &c. Hic quoq; consydera istam proprietatem, naturæ humanæ minimè communicari. Et mox: Deinde, Quo modo factus est primogenitus ex mortuis? et primitiæ dormientium? Nam quia mortis susceptiuam propriã carnem fecerat gratia Dei, sicut dicit sapientissimus Paulus, pro omnibus gustauit mortem carne, qua ipse pati potuit, non abiecto autem eo quod ipse erat uita. Itaq; etiamsi diceretur carne passus esse, non natura deitatis suscipiet passionem, sed ut iam dixi, propria caro est quæ suscipit passionem, &c. Hinc etiam intelligis quomodo passio communicetur Verbo, non quòd ipsum patiatur, sed quia caro quæ illi propria facta est suscipit passionem. Cyrillus.

Idẽ rursus habetur in Synodo Ephesina articulo 13. Neq; enim prius natus est homo communis de sancta uirgine, & tunc demum inhabitauit in eo Verbum, sed in ipsa unitua, uteroq; uirginali secum carnem connexit, & substinuit generationem carnalem, carnis suæ natiuitatem suam faciens. Sic illum dicimus pas- Synodus Ephesina.

sum esse et resurrexisse, nõ quia Deus Verbum in sua natura passus sit, aut plagas, aut clauorum transfixiones, aut alia uulnera susceperit (Deus namq; incorporalis extra paßionem est) sed quia corpus illud quod ipsius proprium factum est, hoc sustinuit, ideò hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat enim in eo corpore quod patiebatur Deus, qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipsius intelligimus. Immortale enim & incorruptibile naturaliter, & uita, & uiuificans Deus Verbũ. Sed quia corpus ipsius proprium gratia Dei, iuxta Pauli uocem, pro omnibus mortem gustauit, idcircò ipse dicitur mortẽ pro nobis passus non quòd ipse mortem esset expertus, quo ad ipsius naturam, (insania enim est hoc uel sentire, uel dicere) sed quòd, ut diximus, uera caro ipsius mortem gustauit. Ita & resurgente carne ipsius, rursus eius resurrectionem dicimus, nõ quia in corruptionem cecidit (quod absit) sed quia eius resurrexit corpus, &c. Sed ut arbitror te iam satis docent, non omnes proprietates re ipsa utriq; naturæ communicari.

Multarum propositionum declaratio per communicationem idiomatum.

Nunc restat ut ostendam quomodo illa dicta scripturæ soluenda & interpretanda sint, in quibus uerba proprietatum inter duas naturas communicantur uel permutantur. Primùm spectanda est ipsa persona de qua illa dicuntur: deinde animo prudenter contemplandæ sunt duæ naturæ, ac proprietates distribuendæ, ut illis conueniunt. Dicitur Christus factus ex semine Dauidis & ex muliere, quia persona filij Dei sibi iunctam habuit naturam, quæ semen Abrahæ et Dauidis fuit, & ex illis fluxit. Dominus gloriæ dicitur

crucifixus, quod Verbum Dei unitam sibi habuerit eam naturam, quæ in cruce passionem & mortem sustinuit. Deus ecclesiam sanguine suo redemit, quod illā naturā assumpserit, ex qua sanguis causa nostrū omnium fusus fuerit. Christus frater noster appellatur, nimirū quod carnem generis nostri assumpserit. Sonat præterea in ecclesia dulcissima sententia, Christus est filius Dei unigenitus ex patre antè secula natus, nempe quòd in eo sit persona & hypostasis diuina, quæ antè omnem æternitatem ex patre prodijt. Item, Christus unum est cum patre, quia persona diuina quæ humanitatem substentat, patri est ὁμοούσιος, id est consubstantialis. Filius Dei ascendit in cœlum, quia naturam assumpserat, quæ eò est delata. Cùm Christus in terris loqueretur, filius hominis dicebatur esse in cœlo, quia natura humana illi personæ seu hypostasi erat coniuncta, quæ in cœlis erat. Filius hominis descendit de cœlo, id est persona diuina è cœlo descendit, quæ sibi naturam coniunxit humanam. Ex his formulis expositionum citra ullam offensionem omnes huius generis loquutiones ut sanas & ueras poterimus admittere. Iā satis fusè tria tibi ostendi: nimirùm, Nō omnes proprietates utriq; naturæ ipsa re, promiscuè communicari. Deinde, Illam cōmunicationem sæpius esse nocuam & loquutionum, quàm ipsarum proprietatum. Ad extremum certam rationem indicaui qua illa dicta obscura & duriora resolui possint, & reddi planissima.

PAN. Quæ retulisti quoniam ad stomachum meum parùm sucium, ea pretereunda censeo. Verùm

ad id mihi respondeas uelim, An putes deitatem solam esse uiuificam. ORO. Fateor, si uiuificam intelligas per se & (ut cum scholis loquar) independenter: alioqui communicatur: nam & carnem Christi uiuificam esse non inficiarer, non quòd ex sua ui id habeat, sed ex fonte deitatis, cui personaliter est unita.

Caro Christi an sit uiuifica.

PAN. Vndecunque ipsam habeat, non moror, eam tamen habet. Sola item deitas est adoranda, & tamen caro Christi adoranda est, non quidem si sola, ut humana caro, absque deitate consyderetur, sed quia est cum deitate personaliter unita. ORO. Cùm sanctificatio uerbo externo utcunque detur, & baptismo non mirum uideri debet, si etiam carni Christi concedatur, quæ instrumentum est sanctificandi multò propinquius, ac sint uel externum uerbum, uel sacramenta. Nec à facultate uiuificandi quicquam de proprietate ac ueritate humanæ naturæ detrahitur, sicut ipsi à nostra ubiquitate, quæ illam exuit suis terminis, suis descriptione, suisq; lineamentis, citra quæ constare non potest. Minus etiam impedior adoratione communicata, cum Christi caro secum habeat coniunctam naturam diuinam. Ex qua tamen coniunctione minime sequitur unam earũ naturarum tam latè patere quàm alteram. Profectò si una cum rege adoratur eius purpura, qua est indutus, nil obstat quo minus unà cum filio Dei etiam eius caro adoretur, quam de uentre uirginis assumpsit. Ista sunt ἀπροσδιόνυσα, neque ad rem nostram quicquam faciunt.

Illæ proprietates re ipsa communicantur, quæ nihil detrahunt de ueritate naturarum.

PAN. At libet nostram sententiam aliquot Patrum dictis confirmare. Quod enim mihi non assentiris,

tis, illis fortasse dabis, graui eorum permotus authoritate. Basilius scribens in sanctam Christi Natiuitatem, ait, Quomodo deitas est in carne? Quemadmodum ignis in ferro, οὐ μεταβατικῶς, ἀλλὰ μεταδοτικῶς, Hoc est, nõ transitiuè, sed distributiuè. Non enim excurrit ignis ad ferrum, sed manens in loco distribuit ipsi propriam facultatem. Et mox: Quomodo igitur Deus uerbum corporea debilitate non impletum est? Dicimus, Velut neque ignis ferri proprietates transumit. Nigrũ est ferrũ & frigidum, sed tamen ignitum ignis formã induit: & ipsum illustratur ac candefit, non nigrefaciens ignem: & ipsum inflammatur, non frigefaciens flammam. Sic sanè etiam humana domini caro, ipsa particeps facta est deitatis, non suam propriam deitati tradidit imbecillitatem. ORO. Quod à Basilio rectè dicitur, non inficior, Naturam scilicet diuinam Christi humanitati distribuere suas facultates, non tamen omnes, uerùm illas tantummodò, quæ illius capacitatem non superant. Non enim ei dat ut sit immensa uel increata, nec etiam ut sit ubique. Gloriæ autem ac felicitatis, nec non uim faciendi miracula, & sanctificandi, aliaq; similia citra controuersiam illi distribuit. Nec similitudo ferri candentis displicet, cum sit pulchra, & ad rem quæ tractatur eleganter accommodata: quia nec ignis omnes proprietates, quas habet, ferro communicat. Etenim cum sit leuissimus omnium corporum, quæ degunt sub lunam, ferro quamuis candenti non largitur suam leuitatem, neque dat ut sursum ascendat, imò si è manibus proijceretur, non utique ad summa, uerùm ad ima tenderet. Deinde non

Basilius.

Simile Basilij de ferro candẽti.

habet quemadmodum ignis partes raras, ſed alias
quamuis ignitum ſolidum ac denſum corpus manet,
utq; igne ferrum commutatur, ut fiat candens, molle
ſcat, illuſtretur & nonnihil purgatius euadat, ita cor-
pori Chriſti ex natura diuina claritas, agilitas, im-
paßibilitas, & cæteræ felicitatis dotes accesſerint.
Verùm quemadmodum leuitas, aſcenſus ad loca ſu-
riora, nec non raritas partium, ſi ferro conferrentur,
id non paterentur amplius eſſe ferrum, ſic humani-
ti Chriſti ſi aſſueretur immenſitas, impletio multo-
locorum ſimul, nec non tua ubiquitas, ea illam non a-
plius eſſe naturam humanam ſinerent. Miror ali-
men, & quidem uehementer, abs te allatum hunc lo-
cum Baſilij, cùm tuam ſententiam acriter oppugn-
Nam antea uehementer contendebas paßionem &
mortem Deo uerbo propriè fuiſſe communicatam
re inquam ipſa, & non uerbali communicatione. Ni-
uerò pater Deum Verbum ait non fuiſſe impletum
corporea debilitate. Quare debilitatem humanam
relinquit, nec illam naturæ diuinæ attribuit. Idq;
confirmat ſimili, dicendo, Velut neq; ignis proprie-
tes ferri tranſumit. Audis Pantache, de ijs proprie-
tatibus loquitur quæ ad infirmitatem attinent. Ea
diuinitati non communicantur, niſi quemadmodu
ſuperius docui, quatenus per incarnationem propri-
am & ſuam ſibi fecit illam carnem, quæ eſt pro tem-
poris œconomia ob noſtram ſalutem debilitata. Sa-
tentiam ſuam Baſilius adhuc dilucidius exprimit, a-
dendo: Nigrum eſt ferrum & frigidum, ſed tam
ignitum, formam ignis induit, & ipſum illuſtratur &
calo

candefit, non nigrefaciens ignem, & ipsum inflammatur, non frigefaciens flammam. Sic porrò etiam Domini caro ipsa particeps facta est deitatis, non suam propriam deitati tradidit imbecillitatem. PAN. At ijs uerbis non sensit Basilius quod deitas in Christo non fecerit sibi propriam imbecillitatem carnis, sed quòd non sit ab imbecillitate carnis mutata. Et tamen sicut in ferro ignito ignis absumit ferri nigrorem & frigiditatem, non ut ipse fiat niger & frigidus, sed ut nigrorem et frigiditatem ferri absumat, ac ferrum inflammet, et illustret: ita deitas in Christo assumpsit humanitatis suæ passionem & mortem, non ut ipsa in se pateretur & moreretur, sed ut passionem eius et mortem absorberet, atq; hominem illum cœlesti Maiestate ornaret. ORO. Frustra circūducuntur uerba, ut euolliatur seu peruertatur clarissima Basilij sententia. Quid iuuat interpretari deitatem non fecisse propriam sibi debilitatem, ita ut ab ea immutaretur? Hæc planè sunt ἀσύστατα, deitatem propriè ac re ipsa communicare passioni & morti, nec pati, nec mori neq; immutari. Quicquid enim propriè patitur, ac moritur, proculdubio immutatur.

PAN. Nisi ex ipso Basilio quippiam aliud proferas, uerba eius ad sententiam meam pulchrè accommodantur. ORO. In eadem oratione circa finē Basilius. ita scripsit, Cogita mihi, uelut Deo conuenit Dominicam incarnationem immaculatam, & impollutam deitatem, etiam si in materiali natura gignatur, affectuosias corrigitur, non ipsa affectione impletur. Non uides solem etiam in cœno esse, & sordidis affulgere, &

habet quemadmodum ignis partes raras, sed alias
quamuis ignitum solidum ac densum corpus manet,
utq; igne ferrum commutatur, ut fiat candens, mollescat, illustretur & nonnihil purgatius euadat, ita cor-
pori Christi ex natura diuina claritas, agilitas, im-
passibilitas, & cæteræ felicitatis dotes accesserunt.
Verùm quemadmodum leuitas, ascensus ad loca supe-
riora, nec non raritas partium, si ferro conferrentur,
id non paterentur amplius esse ferrum, sic humani-
ti Christi si assueretur immensitas, impletio multo-
locorum simul, nec non tua ubiquitas, ea illam non a-
pliùs esse naturam humanam sinerent. Miror at-
men, & quidem uehementer, abs te allatum hunc lo-
cum Basilij, cùm tuam sententiam acriter oppugn-
Nam antea uehementer contendebas passionem &
mortem Deo uerbo proprie fuisse communicatam
re inquam ipsa, & non uerbali communicatione. Ni-
uerò pater Deum Verbum ait non fuisse impletum
corporea debilitate. Quare debilitatem humanam
relinquit, nec illam naturæ diuinæ attribuit. Idq; fi-
confirmat simili, dicendo, Velut neq; ignis proprie-
tes ferri transumit. Audis Pantache, de ijs proprie-
tatibus loquitur quæ ad infirmitatem attinent. Ni-
diuinitati non communicantur, nisi quemadmodu-
superius docui, quatenus per incarnationem propri-
am & suam sibi fecit illam carnem, quæ est pro tem-
poris œconomia ob nostram salutem debilitata. Sa-
tentiam suam Basilius adhuc dilucidius exprimit, a-
dendo: Nigrum est ferrum & frigidum, sed tam
ignitum, formam ignis induit, & ipsum illustratur &
candi

candefit, non nigrefaciens ignem, & ipsum inflammatur, non frigefaciens flammam. Sic porrò etiam Domini caro ipsa particeps facta est deitatis, non suam propriam deitati tradidit imbecillitatem. PAN. At ijs uerbis non sensit Basilius quod deitas in Christo non fecerit sibi propriam imbecillitatem carnis, sed quòd non sit ab imbecillitate carnis mutata. Et tamen sicut in ferro ignito ignis absumit ferri nigrorem & frigiditatem, non ut ipse fiat niger & frigidus, sed ut nigrorem et frigiditatem ferri absumat, ac ferrum inflammet, et illustret: ita deitas in Christo assumpsit humanitatis suæ passionem & mortem, non ut ipsa in se pateretur & moreretur, sed ut passionem eius et mortem absorberet, atq; hominem illum cœlesti Maiestate ornaret. ORO. Frustra circũlucuntur uerba, ut emolliatur seu peruertatur clarissima Basilij sententia. Quid iuuat interpretari deitatem non fecisse propriam sibi debilitatem, ita ut ab ea immutaretur? Hæc planè sunt ἀσύνετα, deitatem propriè ac re ipsa communicare passioni & morti, nec pati, nec mori neq; immutari. Quicquid enim propriè patitur, ac moritur, procul dubio immutatur.

PAN. Nisi ex ipso Basilio quippiam aliud proferas, uerba eius ad sententiam meam pulchrè accommodantur. ORO. In eadem oratione circa finẽ Basilius. ita scripsit, Cogita mihi, uelut Deo conuenit Dominicam incarnationem immaculatam, & impollutam deitatem, etiam si in materiali natura gignatur, affectuosias corrigitur, non ipsa affectione impletur. Non uides solem etiam in cœno esse, & sordidis affulgere, &

grauedolẽtia non frui, nec participare, imò uice ne
eorum quibus sufficienter conuersatus fuerit, pu
ctiones reficcat. Quid igitur times de affectionis c
perte, ac pura, & incorruptibili natura, ne quid d
quam de nobis maculam assumat? &c. Primùm d
ipsam deitatem affectione minimè impleri. Nec de
tem per se ac seorsim consyderat. Verùm de illa tu
ctat ut per incarnationem coniuncta est naturæ h
manæ. Quid pulchrius est præterea illa similitudi
quam usurpat, dicendo, Solem in cœno esse, ac sor
bus affulgere, cùm tamen graueolentia nec fruat
nec participet? Si hæc uera sunt, quid tu antea
confingebas realem omnium proprietatum inter d
naturas confusionem? uel ut ipse appellabas com
Basilius. nionem? Præterea idem pater de gratiarum ac
ita scripsit, Quemadmodum igitur fumem fusce
minus, ubi solidus cibus illi digestus fuit, & sitim
cepit humiditate in corpore consumpta, & la
fuit musculis ac neruis ex profectione in itinere
distentis, non deitate per laborem domita, sed co
accidentia, ex natura consequentia suscipiente
etiam lachrymas pertulit, naturale accidens car
cedere concedens, &c. Affirmat itaq; Basilius C
stum hæc passim corpore suscipiente accidentia,
consequuntur ex natura. Proinde corpus erat q
bas conditiones, affectus, & proprietates suscipi
Idcircò sapientissimè scripturæ docent Christum
sum, & adiiciunt carne. Ita etiam nobis Pantæn
quendum fuit, Christum certo loco secundum car
uel quo ad corpus ipsum contineri, ubiq; autem e

uinitate. Hac dicendi & scribendi formula usa est hactenus ecclesia, sed uos ea spreta & reiecta, magna fidelium perturbatione, audetis affirmare Christum etiam quo ad humanitatem esse ubiq;, semper opponentes naturarum seu personæ dissolutionem, si aliter statuatur. Neq; consyderatis naturas in Christo non discerpi, licet paßiones in carne susceptæ diuinitatem non peruaserint, & eas disiungendas contenditis, si natura humana Christi ubiquitatem non sit assequuta. Ad hunc deniq; modum conclusit Basilius: Lachrymatus est, naturale accidens carni accedere concedens. Vnde colligas oportet, lachrymas ita carni conuenire ut diuinitatis esse nequeant. Extendatur itaq; natura diuina in immensum, non autē ei coextendatur in immensum natura humana. PAN. Videris parùm concinnè ac propriè loqui. Corporeæ quippe molis ac magnitudinis est aliquò extendi: at Deus cum sit spiritus, extendi non rectè dicitur. ORO. Non possumus de spiritualibus arcanis iuxta eorum naturam propriè loqui. Desunt uocabula, & certis dicendi formulis destituimur, ideò ad translationes à rebus corporeis deriuatas nos crebrò recipimus, & illis pro loco ac tempore uti consueuimus. Nec tamen ego primus, aut solus phrasim huius generis induxi. Basilius quippe in concione super initium Euangelij secundum Iohannem, ait, Neq; pater in loco, neq; filius in ambitu aliquo, ac circumscriptione confessa comprehensus, sed infinitus pater, infinitus filius. Omne quodcunque mente conceperis, & quocunq; spiritu tuo perrexeris Deo repletum inuenies, ubiq; simul coextensam

Formula loquēdi usitata in ecclesia.

Basilius.

filij substantiam reperies, etc. At orationem eius [illegible]
cam uisum est adijcere, ὅτι ὁ πατὴρ ἐν τόπῳ, ὅτι ὁ ἡὸς [illegible]
[illegible] τινὶ, καὶ περιγραφῇ ὁμολογουμένῃ κατειλημμένος, ἀλλ' [illegible]
[illegible] ὁ πατὴρ, ἄπειρος δὲ ὁ ἡὸς. πᾶν ὅπερ ἂν νοήσῃς, καὶ [illegible]
πορευθῇς τῷ πνεύματι σοῦ, τοῦ θεοῦ εὑρήσεις πεπληρωμένον, [illegible]
συμπαρεκτεινομένην εὑρήσεις τοῦ ἡοῦ τὴν ἑπόστασιν. Iam fili[illegible]
sonam agnoscis non solùm patri coextensam, [illegible]
etiam omnibus rebus quæ cogitaueris, & ad qu[illegible]
cesseris. Et ratio quæ affertur consideranda [illegible]
quàm diligentißimè. Quoniam, inquit, & filius [illegible]
finitus. Quòd si filius non esset infinitus ut pater [illegible]
posset ei coextendi. Quamobrem uos oportet [illegible]
re corpus Christi esse infinitum, & ita deitati [illegible]
tendi, aut si statueritis illud finitum, ut iuxta [illegible]
xam fidem sentire debetis, cogemini fateri, uel[illegible]
litis, ipsum non posse infinitæ deitati coextendi.

Verbum coextendi usurpatum à Basilio in rebus diuinis.

Cyrillus.

PAN. At uolo ut iam Cyrillum audias, [illegible]
hunc modum in Iohannem scribit, Non imperi[illegible]
nino uiuificam carnem esse negatis. Nam si [illegible]
telligatur, nihil prorsus uiuificare potest, quipp[illegible]
uiuificante indigeat. Cum uerò incarnationis [illegible]
rium laudabili cura scrutati fueritis, & habi[illegible]
in carne cognoueritis (quamuis nil penitus ca[illegible]
seipsam poßit) uiuificam tamen esse factam cr[illegible]
Nam quoniam cum uiuificante uerbo caro co[illegible]
est, tota est effecta uiuifica, &c. Et mox: Qua[illegible]
tura carnis, ut caro est, uiuificare nequeat, facit [illegible]
hoc, quia totã uerbi operationem suscepit. Si [illegible]
naturaliter dulce sit, ea dulcia facit quibus [illegible]
tur, nonne stultum erit uiuificam Verbi natura[illegible]

ve non dedisse homini in quo habitat uiuificandi uirtutem. ORO. Hic iam operam ludis, quoniam antea datum est eas diuinas proprietates humanitati communicari à deitate, quæ illam non euertunt, & nominatim expressi uim sanctificandi atque uiuificandi carni Christi per deitatem posse conuenire. Adhæc Cyrillus eleganter demonstrauit, quomodo uiuificandi facultatem humanitas Christi habeat: Nimirum quòd uerbi operationem suscipiat. Vis quippe deitatis per humanitatem domini transit, & in nos derivatur. PAN. Sed totam ait recipere. ORO. Totam ego intelligo, quæ facit ad uiuificationem & sanctificationem. Alioqui tota uis filij Dei, qua regit orbem terrarum, & se in infinitum extendit, non claditur & finitur in Christi humanitate, quæ finita est, & suis terminis circumscribitur. Simul uerò quòd affert de melle, satis illius naturam ac sensum declarat. Efficitur sanè dulcia quibuscunq; mel admiscetur, at tamen haudquaquam tantum dulcedinis habent, quantum in seipso mel habet. Quo enim magis acribus, aut acidis commiscetur, dulcedo in eis minor deprehenditur. Idcirco antea cum de communicatione proprietatum disserebamus, affirmaui eas communicari quidem, sed pro naturæ participantis eas capacitate. Simile Cyrilli.

PAN. Sed audiatur idem ipse pater. De incarnatione Verbi cap. 7. ubi ait, sicut corpus alterius est naturæ præter animam, unus tamen ex utroque homo efficitur & uocatur: ita etiam ex perfecta Dei substantia, & ex humanitate perfecta, unus est Christus. Idem in eodem simul Deus & homo. Et sua qui-

dem dicit Deus Verbum, ea quæ sunt carnis pro
quia ipsius est corpus & non alterius. Comm
tem facit tanquam cum sua carne diuinæ sue
tis operationes, ut possit etiam uiuificare mort
sanare infirmos. Et cap. 8. Cæterùm tanq
imagine licet in carbone conspicere adunatu
dem humanitati Deum Verbum, non tamen pr
se quod fuerat, transformasse autem magis ass
naturam, in suam gloriam & operationem. Q
modum ignis ligno affixus, & in id penetrans,
prehendit quidem ipsum, & quamuis lignum e
desinat, uim tamen suam speciemq; trãsmittit
seq; confert in lignum, & cum ipso iam quas
aliquid æstimatur. Idem intelligo & de Christo
natus enim inæstimabiliter humanitati Deus,
uit quidem ipsam in eo quod fuerat, & ipsa pe
fit quod erat. Semel tamen adunatus, quasi u
cum ipsa putatur, ea quæ sunt illius, sua faciens
rens autem ei & ipse naturæ suæ operationes
Etsi autem hanc Cyrilli similitudinem de carb
cut illam de ferro quam supra recitauimus, e
quispiam, & exagitare potest, ac fortasis acc
datior esset similitudo de ignito auro, quàm de
ligno, aut ferro. Tamen non est ignotum quat
les similitudines ad explicandam hanc idio
communionem adhibeantur, & quatenus
ac ualeant. Neque enim in alium usum à nobis
morantur, quam ut saltem aliquo modo inte
lem illam Dei & hominis in persona Christi u
ex qua communicatio idiomatum oritur, de

ius. ORO. Nunquam inficias iui, Deum Verbum sua dicere, quæ suæ carni propria sunt: at de modo uidendum est, quo illa & dicat & faciat sua. Tu rem sic accipis (ut suspicor) quasi hæreant & recipiantur in ipsa natura, cui dicuntur communicari: quod minime uerum est. Non enim mors & passio Christi hæserunt in ipsa diuinitate, quæ nec pati nec mori potest. Nos uero idcirco ista communicari dicimus, quia natura humana, cui mors & passio accidebat, ipsius Verbi erat, nam illam per incarnationem suam fecerat. Hunc sensum nos amplectimur, & Cyrillus eum expressit, dicendo. Quia ipsius est corpus, & non alterius. Ad hunc etiã modũ uos deberetis de uestra ubiquitate pronunciare, ut sæpe te monui, sed frustra, ut uideo. Quamuis natura diuina cui humanitas est copulata unione hypostatica, est ubiq;, ipsa tamẽ humanitas loco suo finitur et clauditur. Sicut dicimus, naturæ humanæ Christi mori & pati contigit, cui tamen iuncta erat hypostaticè natura diuina, quæ enim perpetuò sit immortalis & impassibilis, re ipsa nec mortua est nec passa. Mortuorum autem uiuificationem, & infirmorum sanationem, atque huius generis proprietates humanitati facile communicatas iam uobis dedi, quòd nihil prorsus de illius natura detrahant. Imaginem carbonis, quantũ ad præsens negotium potest accommodari, non reijcio. Verùm contra illam reijcio eadem, quæ prius aduersus eam quæ afferebatur de ferro candenti opposui. Humi quippe iacent carbones, quamuis igniti, nec ad superiora feruntur, quemadmodum ignis. Habent etiam suum quantum-

Cyrillus attulit similitudinẽ carbonis.

eumq; pondus, nec ignis leuitatem sunt assecuti. Nec
adhuc densarũ partiũ corpora, nec rari euaserunt
ignis. Candent quidẽ specie, at eos cõtinuas, atrũ
bis eorũ puluerẽ, & nigra reddent corpora, licet
dida fuerint. quibus eos affricueris. Iis addas ig
& ligna consumere, ac ferrum imminuere cum ip
manetur & ignita reddantur: cùm diuinitas C
non sic humanitatem afficiat. Quare constat &
militudinem hic esse, neque omnes proprietates
municari inter ignem, & lignum. Quid uerò tib
lis de auro ignito, non satis percipio, nisi fortè
aurum ab igne non consumi, ut ligna & ferru
potius perfici ac purius reddi, quemadmodum C
humanitas à diuinitate non consumitur, sed perfi
Ego uerò quid in auro ignis faciat, aurifici exp
dum relinquam. Id tantum affirmabo, ignem
suas proprietates auro minimè communicare.
dum coquitur aurum, fluit & colliquescit, qu
non est proprium. Deinde licet ignis illud per
non tamen efficit ut sursum attollatur, uel ut s
aut subtile reddatur, & fortassis aliæ ignis pro
tes possent reperiri, quas auro minime com
Et ille quas in eum transfundit, non eas excellen
stat, ac eæ quas ipse in se habet. Nec porrò te q
laborare ut similibus adeò multis communica
proprietatum confirmares: quandoquidem à
ultrò ac sponte detur, si tamen illa recto modo
thodoxa ratione utamur. Cõmunicẽtur eæ pro
tes, quæ naturis possunt congruere, quæ ut
queunt uel humanitati, uel diuinitati adaptari,

attribuantur, nisi modo iam expositio, & Patrum testimonijs confirmato.

PAN. Adhuc quaeso te, ne graueris audire quae scribat idem pater ad Successum: Vnde puto beatissimum Paulum dicere, Etsi cognouimus Christum secundum carnem, nunc nō nouimus. Dei enim (ut dixi) proprium corpus existens, omnia humana transcendit, &c. Et mox: Ideoq; diuinum quidem dicimus corpus Christi, quia corpus Dei est, & ineffabili gloria illustratum, incorruptibile, & iam sanctum, & uiuificum confitemur. ORO. De illis uerbis (ut uideo) uirificè gloriaris ac triumphas. Nam ea ille uester liber maioribus literis habet in se cōscripta, OMNIA HVMANA TRANSCENDIT, &c. At nos etiam fatemur Christi corpus omnia humana transcendere, sed non ita ut corpus hominis esse desinat. Retinet quippe adhuc sua membra, lineamenta, fines, atq; circumscriptionem. Humana transcendit omnia, quae ad imbecillitatem, infirmitatem, & necessitates huius uitae pertinent: non esurit amplius, non sitit, non fatigatur, nō patitur, non moritur. Haec humana sunt, quae causa nostrae salutis assumpsit, & modò sunt ab eius felicitate subducta. Nec uera esset alioqui Pauli sententia, Non cognouimus à nobis Christum secundum carnem, si eam sic acciperemus, quasi & credamus, & profiteamur illum iam esse uero corpore humana destitutū. Porrò si haec esset nostra fides, ab orthodoxa & uera doctrina procul desciuissemus. Quod enim Verbum Dei semel assumpsit, nunquā passum est, nec patietur à se diuelli. Nūc uerò minimè tecum disputo,

Cyrillus.

Quomodo corpus Christi transcendat omnia humana?

en aliter quàm immutat Cyrillus Apostoli uerba sui
telligenda: quoniam aduersus illum in præsenti
scribo: sed tuam interpretationem confutare pro
ribus nitor, qui sic uerbis huius Patris abutaris, et
berè, in uniuersum, atq; omnibus modis intelliga
sti humanitatem omnia humana transcendisse, ex
hil amplius in se humani habeat. Carebit itaq;
pore, carebit etiam animo. Nec attendis in sen
quam postea subijcis, eiusdem Cyrilli, minimè re
quod tu maximè captas, Nempe Christi corpus
ctum esse immensum, & esse ubiq;. Id profectò
Cyrillus neq; ullus ex Patribus unquam dixit. Il
esse illustratum ineffabili gloria, incorruptibile
ctum, & uiuificum. Huiusmodi autem id
municari carni Christi nequaquam ambigimus.

Augustinus. PAN. Quoniam Augustino soles mul
ferre, illum quoq; uolo ut audias. Is in sermone
uerbis Apostoli, ad hunc modũ scribit: Christus
dit, Idemq; filius hominis, qui filius Dei, sedet in
qui ambulat in terra. In cœlo erat, quia ubiq;
stus: idemq; Christus, & filius Dei & filius ho
propter unitatem personæ, in terra filius Dei
pter eandẽ unitatem personæ probauimus esse
filium hominis, &c. ORO. Dum sic loqui
gustinus, unitatem personæ respicit, atq; ita
fuisse contendit, ut discamus non separare
persona. Et hanc sententiam suam satis ostend
Pater, cùm paulò superius obiecerit sibi, ad
dum percunctando. Filius ergo hominis descen
cælo? Nonne filius hominis in terra factus est?

filius hominis per Mariam factus est? Respondet, Sed homo, inquit, noli separare, quē uolo copulare, &c. Hoc dicit, non significans humanitatem Christi esse ubiq;, quod alibi (ut apertissimè tibi ostēdi) liquidis et clarissimis uerbis pernegat: Verùm hic ita loquitur, ut ostēdat unam esse personam, & unum Christum, non duas personas, neq; duos Christos. Et cum dicitur, Filius hominis descendit de cœlo, uocabulo filij hominis persona Christi demonstratur, quæ est hypostasis filij Dei. Nam is descendit de cœlo, non humana natura. Nam quæ non fuit antequam ex uirgine conciperetur, quo modo potuit è cœlo descendere? Cur uerò Iesus Christum personam illam appellarit filium hominis, non est difficile uidere, nempe quòd iam tum, cum hæc loqueretur habuit naturam humanam secum hypostatica unione coniunctam. Atq; ita loquendo remouit suspitionem, qua potuissent aliqui cogitare illum de duobus loqui filijs per se subsistentibus, quasi eius persona diuina esset in cœlo, persona uerò humana in terris. Ea uerò fuisset diuisio Nestorij. Nec affirmat Augustinus, Naturam humanam in incarnatione re ipsa de cœlo descendisse. Nam id fieri non potuit, cùm ex uentre uirginis, non de cœlo prodierit. Potuisset utiq; dicere, Filius Dei descendit de cœlo, & filius dei est in cœlo, ut passim & scribitur, & dicitur: sed filius hominis dixit, quia cùm hæc loqueretur in eius persona, humanitas, nō autem natura diuina cernebatur. Vnde intelligere potes descensum de cœlo non esse communicatum naturæ humanæ in incarnatione, cùm de uirginis carne seu uisceribus, non è cœlo prodierit.

Filius hominis descēdit de cœlo, ut est intelligendum.

en aliter quàm immutat Cyrillus Apostoli uerba sui
telligenda: quoniam aduersus illum in præsenti
scribo: sed tuam interpretationem confutare pro
ribus nitor, qui sic uerbis huius Patris abutaris, e
berè, in uniuersum, atq; omnibus modis intelligas
sti humanitatem omnia humana transcendisse, e
hil amplius in se humani habeat. Carebit itaq;
pore, carebit etiam animo. Nec attendis in sen
quam postea subijcis, eiusdem Cyrilli, minimè re
quod tu maximè captas, Nempe Christi corpus
ctum esse immensum, & esse ubiq;. Id profectò
Cyrillus neq; ullus ex Patribus unquam dixit. Il
esse illustratum ineffabili gloria, incorruptibile
ctum, & uiuificum. Huiusmodi autem
municari carni Christi nequaquam ambigimus.

Augustinus. PAN. Quoniam Augustino soles mul
ferre, illum quoq; uolo ut audias. Is in sermone
uerbis Apostoli, ad hunc modũ scribit: Christus
dit, Idemq; filius hominis, qui filius Dei, sedet in
qui ambulat in terra. In cœlo erat, quia ubiq;
stus: idemq; Christus, & filius Dei & filius ho
propter unitatem personæ, in terra filius Dei
pter eandẽ unitatem personæ probauimus esse in
filium hominis, &c. ORO. Dum sic loqui
gustinus, unitatem personæ respicit, atq; ita
fuisse contendit, ut discamus non separare
persona. Et hanc sententiam suam satis ostendi
Pater, cùm paulò superius obiecerit sibi, ad h
dum percunctando. Filius ergo hominis desc
cœlo? Nonne filius hominis in terra fuctus est?

filius hominis per Mariam factus est? Respondet, Sed homo, inquit, noli separare, quē uolo copulare, &c. Hoc dicit, non significans humanitatem Christi esse ubiq;, quod alibi (ut apertissimè tibi ostēdi) liquidis et claris uerbis pernegat: Verùm hic ita loquitur, ut ostēdat unam esse personam, & unum Christum, non duas personas, neq; duos Christos. Et cum dicitur, Filius hominis descendit de cœlo, uocabulo filij hominis persona Christi demonstratur, quæ est hypostasis filij Dei. Nam is descendit de cœlo, non humana natura. Nam quæ non fuit antequam ex uirgine conciperetur, quo modo potuit è cœlo descendere? Cur uerò Iesus Christus personam illam appellarit filium hominis, non est difficile uidere, nempe quòd iam tum, cum hæc loquebatur habuit naturam humanam secum hypostatica unione coniunctam. Atq; ita loquendo remouit suspitionem, qua potuissent aliqui cogitare illum de duobus loqui filijs per se subsistentibus, quasi eius persona diuina esset in cœlo, persona uerò humana in terris. Ita uerò fuisset diuisio Nestorij. Nec affirmat Augustinus, Naturam humanam in incarnatione re ipsa de cœlo descendisse. Nam id fieri non potuit, cùm ex uentre uirginis, non de cœlo prodierit. Potuisset utiq; dicere, Filius Dei descendit de cœlo, & filius dei est in cœlo, ut passim & scribitur, & dicitur: sed filius hominis dixit, quia cùm hæc loqueretur in eius persona, humanitas, nō autem natura diuina cernebatur. Vnde intelligere potes descensum de cœlo non esse communicatum naturæ humanæ in incarnatione, cùm de uirginis carne seu uisceribus, non è cœlo prodierit.

Filius hominis descēdit de cœlo, ut est intelligendum.

Cæterùm illum eundem patrem audi, hæc
exponentem super Iohannem, ubi ad hũc modum
Augustin. bit: Hîc erat carne, in cœlo erat diuinitate, imò
diuinitate. Vbiq; ait diuinitate, non autem pro
uit esse ubiq; illius humanitatem. Atq; in eand
gelistam Tractatu 31. Quæretis me et non inue
et ubi sum ego uos non potestis uenire, quia qu
illum erant post resurrectionem compuncti. N
xit ubi ero, sed ubi sum. Sẽper enim ibi erat Chr
quò fuerat rediturus. Sic enim uenit ut non rece
Vnde alio loco ait: Nemo ascendit in cœlũ nisi
scẽdit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Nõ
qui fuit in cœlo. In terra loquebatur, et in cœlo
dicebat. Sic uenit ut inde non abscederet, sic re
nos non derelinqueret. Quid mir amini? Deus h
cit. Homo enim secundum corpus in loco est, et d
migrat: & cum ad alium locum uenerit, in
unde uenit non est. Deus autem implet omnia, et
totus est, non secundum spacia tenetur locis. E
men Christus secundum uisibilem carnem in ter
cundum inuisibilem maiestatem in cœlo & in
Ideò ait, Vbi ego sum, uos non potestis uenire.
stũ dicit semper ibi fuisse quò erat rediturus, q
que id nos diffitemur. Deitate quippe ibi erat
do autem, Deus hoc fecit, ipsam Dei filij pers
spicit. Id autem nos manu largissima damus.
(ut ipsemet Augustinus exponit) non est in loc
plet omnia, et ubiq; totus est. Deo hæc tribua
non Christo & filio Dei, non autem humanit
denter autem is Pater distinxit, iuxta quam

in terra fuerit, & iuxta quam tum in cœlo, tum etiam in terra. Volo præterea interponere dictum eiusdē Augustini quod habetur in quadam oratione, 8. scilicet De uerbis Domini in Iohannem. Sed à quibus homo abscedebat, Deus non relinquebat: quia idem Christus homo & Deus. Ergo & ibat per id quod homo erat, et manebat per id quod Deus erat. Ibat per id quod uno loco erat, & manebat per id quod ubique erat, &c. Et mox ibidem: Per quod ergo filius non est æqualis patri, per hoc erat iturus ad patrem, à quo & uenturus est iudicaturus uiuos & mortuos. Per illud autem in quo æqualis est genitori genitus, numquam recedet à patre, sed cum illo est ubique totus, pari diuinitate, quam nullus continet locus, &c. Ista tam perspicua sunt ac dilucida, ut nulla egeant expositione. Non possum ad hæc præterire, quod in eadē oratione habetur. Neque enim homo Christus non dicitur filius Dei, quod etiam sola caro eius in sepulchro meruit appellari. Nam quid aliud confitemur cum dicimus, credere nos in unigenitum filium Dei, qui sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus? Et quid eius sepultum est, nisi caro sine anima? Ac per hoc cum credimus in Dei filium qui sepultus est, profectò filium Dei dicimus et carnem, quæ sola sepulta est, &c. In ijs uerbis te oportet animaduertere, carnem Christi solā, id est, seorsim & ab anima separatam uocari filium Dei. Quid obsecro te sic dici oportuit, si proprietas etiam sepulturæ ad naturam diuinam pertinuit? Non est dubium diuinitatem cum sit ubique etiam in sepulchro adfuisse carni. Sed illam fuisse tumulatam, & se Augustinus

pulchro conclusam, ut caro erat, nequaquam sentiendi est. Quare ut proprietas paßionis & mortis naturæ diuinæ minime inhæsit, ita sepulchri ambitus eam non conclusit. Nec illi proprietas communicata est, nisi modo ac ratione iam antea exposita: quia nimirum corpus est sepultum, quòd Verbum Dei per incarnationem suum fecerat. Præterea si sola caro sepulta est (ut Augustinus ait) & anima propter unionem hypostaticam cum Verbo, erat (ut uultis) ubique, mirum quomodo & in sepulchro non fuerit. Verùm si etiam ibi erat, ergo & unà cum carne sepulta erat, & caro unà cum illa ubique erat, cum & ipsa hypostasi Verbi non destitueretur. Sed ista expreßius repetuntur mox in eadem oratione, ubi scribitur: Agnoscamus geminam substantiam Christi, diuinam scilicet quæ æqualis est patri, humanam, qua maior est pater: utrumque autem simul non duo, sed unus Christus, ne sit quaternitas, non trinitas Deus. Sicut enim unus est homo anima rationalis & caro, sic unus est Christus Deus & homo, ac per hoc Christus Deus & anima rationalis & caro. Christum enim in his omnibus, & Christum in singulis confitemur. Quis est ergo per quem factus est mundus? Christus Iesus: sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus: sed in forma serui. Item de singulis quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus: sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo iacuit in sepulchro? Christus Iesus: sed in carne sola. Dicitur ergo & in his singulis Christus. Verùm hæc omnia non duo uel tres, sed unus Christus, &c. Certe si

Augustinus

omnia

cuncta hæc erant ubique (ut multis) non sic potuerunt distribui, ut sola anima fuerit in inferno, sola caro fuerit in sepulchro, & deitas ubiq;. Distributionem eandem in epistola ad Dardanum seruauit, ubi ad hunc modum scribitur: Homo quippe Christus illo die secundum carnem in sepulchro, secundum animam in inferno futurus erat. Deus uerò idem ipse Christus ubique semper est, &c. Item ibidem: Hodie mecum eris in paradiso. Non ex his uerbis in cœlo existimandus est esse paradisus. Neque enim ipso die in cœlo futurus erat homo Christus Iesus, sed in inferno secundum animam, in sepulchro autem secundum carnem, &c. Augustinus.

Sed ut ad sententiam propositam ex Iohanne redeam. Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis, &c. Cyrillus eam interpretans ita scribit: Cùm autem Dei Verbum de cœlo descenderit, filium hominis descendisse ait, in duas post incarnationem diuidi personas recusans. Nec alicui permittens ut templum quod à uirgine sumptum fuit, alium Filium, & alium Dei Verbum prædicet, quamuis quæ utrique naturaliter insunt, decentem distinctionem suscipiant. Vt enim ex Deo Verbum est, sic homo ex muliere. Vnus igitur ex utrisque Christus filiatione indiuisibilis, & maiestate diuina. Quomodo enim aliter quæ soli Verbo Dei conueniunt, uirginis filio accommodari poterunt? Quomodo autem è conuerso quæ soli carni conueniunt, Verbo Dei attribuentur? Nunc enim de cœlo filium hominis descendisse ait, passionis uerò tempore, ipse Dei tanquam ipse patiens quæ humanitati suæ solummodo congrua sunt, timuisse scribi Cyrillus.

pulchro conclusam, ut caro erat, nequaquam sentiendi est. Quare ut proprietas passionis & mortis naturæ diuinæ minime inhæsit, ita sepulchri ambitus eam non conclusit. Nec illi proprietas communicata est, nisi modo ac ratione iam antea exposita: quia nimirum corpus est sepultum, quòd Verbum Dei per incarnationem suum fecerat. Præterea si sola caro sepulta est (ut Augustinus ait) & anima propter unionem hypostaticam cum Verbo, erat (ut uultis) ubique, mirum quomodo & in sepulchro non fuerit. Verùm si etiam ibi erat, ergo & unà cum carne sepulta erat, & caro unà cum illa ubique erat, cum & ipsa hypostasi Verbi non destitueretur. Sed ista expressius repetuntur mox in eadem oratione, ubi scribitur: Agnoscamus geminam substantiam Christi, diuinam scilicet quæ æqualis est patri, humanam, qua maior est pater: utrumque autem simul non duo, sed unus Christus, ne sit quaternitas, non trinitas Deus. Sicut enim unus est homo anima rationalis & caro, sic unus est Christus Deus & homo, ac per hoc Christus Deus & anima rationalis & caro. Christum enim in his omnibus, & Christum in singulis confitemur. Quis est ergo per quem factus est mundus? Christus Iesus: sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus: sed in forma serui. Item de singulis quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus: sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo iacuit in sepulchro? Christus Iesus: sed in carne sola. Dicitur ergo & in his singulis Christus. Verùm hæc omnia non duo uel tres, sed unus Christus, &c. Certe

Augustinus

omnis

omnia hæc erant ubique (ut multis) non sic potuerunt Augustinus.
distribui, ut sola anima fuerit in inferno, sola caro fuerit in sepulchro, & deitas ubiq;. Distributionem eandem in epistola ad Dardanum seruauit, ubi ad hunc modum scribitur: Homo quippe Christus illo die secundum carnem in sepulchro, secundum animam in inferno futurus erat. Deus uerò idem ipse Christus ubique semper est, &c. Item ibidem: Hodie mecum eris in paradiso. Non ex his uerbis in cœlo existimandus est esse paradisus. Neque enim ipso die in cœlo futurus erat homo Christus Iesus, sed in inferno secundum animam, in sepulchro autem secundum carnem, &c.

Sed ut ad sententiam propositam ex Iohanne re- Cyrillus.
deam. Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis, &c. Cyrillus eam interpretans ita scribit: Cùm autem Dei Verbum de cœlo descenderit, filium hominis descendisse ait, in duas post incarnationem diuidi personas recusans. Nec alicui permittens ut templum quod à uirgine sumptum fuit, alium Filium, & alium Dei Verbum prædicet, quamuis quæ utrique naturaliter insunt, decentem distinctionem suscipiant. Vt enim ex Deo Verbum est, sic homo ex muliere. Vnus igitur ex utriusque Christus filiatione indiuisibilis, & maiestate diuina. Quomodo enim aliter quæ soli Verbo Dei conueniunt, uirginis filio accommodari poterunt? Quomodo autem è conuerso quæ soli carni conueniunt, Verbo Dei attribuentur? Nunc enim de cœlo filium hominis descendisse ait, passionis uerò tempore, ipse Dei tanquam ipse patiens quæ humanitati suæ solummodo congrua sunt, timuisse scribi

tur, &c. Ex ijs iam intelligis (ut opinor) proprietat
quæ dicuntur de utrisq; naturis, & ambabus non p
sunt conuenire, iustam requirere distinctionem se
stributionem. Deinde annotabis istas proprietates
ter sese transferri, & accommodari loquutione a
scriptione, ad tuendam utriusque naturæ unitate
eadem personã, cùm tamen reipsa (ut liquidè tra
aliqua soli Verbo Dei conueniant, & aliqua è
uerso carni soli congruant. Atque ita statuere
portet, quia natura humana de cœlo minim
scendit: neque diuina (si proprie loqui uelimus) ti
cum tempus & passionis & mortis imminere
rursus grauabor dictum huius patris repetere De
carnatione Verbi capite 27. Et à cœlo enim hom
Cyrillus. Christus, licet carnem sancta uirgo peperit. Q
do igitur desuper et de cœlo? Deus enim uerbum
est desuper & ex patre, carnem ex beata uirgine
piens, & eam suam propriamq; existimans,
quam si eam desuper & de cœlo detulisset, dice
nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo desce
lius hominis. Ea enim quæ sua sunt, propriæ car
per attribuit. Adumbratum uerò semel iam c
unum scilicet æstimabitur, &c. Hic primum s
Cyrillus quod antea dicebam, reipsa humanit
sti non esse communicatum è cœlo descensum,
prius uerbi fuit, sed tantùm ad illam phrasi &
tione scripturæ accommodatum, quo doceremur
tatem duarum naturarum in eadem hypostasi.
uens deinde hanc domini nostri Iesu Christi
formulam, ait, Et eam suam propriamq; carn

simans, tanquam si eam desuper & de cœlo detulisset, dicebat, &c. Hic uides illam proprietatem descensus è cœlo, non esse reuera carni communicatam, sed tantùm æstimatione ac loquutione ad carnem accommodatam & adaptatam, idq; citra mendacium, cùm Deus Verbum illam carnem suam fecerit.

Arbitror de hac Euangelica sententia iam satis inter nos actum. De carne autem Christi unà cum eius diuinitate adoranda, ita ut non alium & alium Christum adoremus, antea satis loquuti sumus. Quare nũc ea de re nil constitui addere. Tantummodo libet quid Cyrillus de incarnatione uerbi, loco iam adducto, scribat, referre. Adorauit ipse nobiscum, inquit. Vos enim ait adoratis quod nescitis, Nos adoramus quod scimus: Adest etiam adorãdus. Flectitur enim ipsi omne genu. Hoc quoq; secũdum aliud, & aliud. Adorat enim, quia naturam assumpserit, quæ debebat adorare: Adoratur porrò idem quasi maior adorante natura, eo quod intelligitur Deus, &c. Verùm inter nos de adoratione, quod sciam, nulla est controuersia. Illum quippe honorem Christo, qui uerè Deus est in solidum, impendimus, qui duabus constat naturis, neque in eo colendo unam ab altera discerpimus. Cyrillus.

PAN. Permulta sanè abs te sunt allata, Verùm ad singula respondere forte in aliud tempus differam. Nũc in animo habeo potius mea referre, quàm tua confutare. Idcircò mihi nunc ad id respondeas uelim, cum humanitati Christi propter unionem hypostaticam detis uiuificandi, sanandi, & sanctificãdi facultatem, cur postea tam difficiles estis et morosi, ut eam nolitis con

tedere ubiq; adesse, atq; omnia implere, cum hæc pro
prietas dignitate ac excellentia iam commenda
multò sit inferior. Dici autem uulgò solet, Qui da
maiora, cur neget minora? ORO. Ratio est in
promptu. Quoniam uires & facultates, quas rece
suisti, non destruunt naturam humanam, sed perficiũ
Humanitatem uerò deitati coextendi fieri non potes
nisi ea quoq; infinita reddatur: quod nil est aliud q
illam extinguere.

Nõ semper danda sunt minora ei, cui maiora tribuimus.

Nunc missa disputatione, utræ nam ex ijs dotiũ
aut proprietatibus, quas modò inter se cõparas, a
antecellant: dico me non recipere dogma illud tu
quo admodum confidenter affirmasti, Danda esse
nora ei naturæ, cui maiora tribuimus. Etenim ho
factus est ad imaginem Dei, quæ conditio procul d
bio est excellentißima: Nec tamen illi datum est rob
leonum, neq; in uidendo aquilarum acies. Porrò arg
menta huius generis probabilia sunt, nõ autem fir
ter ac solidè uel (ut Græci dicunt) ἐξ ἀκριβοῦς, quod
in quæstione positum demonstrant.

PAN. Quicquid sit de rebus hucusq; ultrò ci
troq; dictis, id modò uenit in mentem, de quo mec
sæpius cogitare soleo, uos idcircò abhorrere à nos
sententia, quòd non rectè illam teneatis. Existim
quippe humanitatem à nobis credi esse ubiq;, uel o
nia implere sua natura: quod minimè statuimus, ut q
dicamus eam id ex seipsa non habere. Neq; si sola
gitetur, hoc ei attribuendum censemus. A Verbo
proprietas illi communicatur: ex ea coniunctione hy
postatica, quam cum illo habet, illa prærogativa

adscribitur. Atq; in summa dicimus corpus Christi nõ implere omnia in quantum est corpus humanum, sed in quantum est corpus assumptum. ORO. Neutrum ferri potest. Neq; enim corpus, ut humanum est, omnia potest implere, uti modo tu ipse fateris: Neq; ut coniunctum est naturæ diuinæ in eadem persona. Diuina quippe hypostasis non abstulit à corpore assumpto, quin uerè sit humanum corpus: ad cuius definitionẽ id pertinet, ut sit ὀργανικὸν, ut Philosophi loquuntur. Instrumenta uerò suis terminis finiuntur & comprehenduntur. Quare non possunt eodem tempore simulq; implere omnia loca, & cum terminata & finita sint infinito coextendi nequeunt. PAN. At non extendimus humanitatẽ Christi locali diffusione, sicut nec diuinitas ipsa localiter est diffusa. ORO. Quid uos faciatis, ipsi uideritis. Hoc nos certò scimus, humanum corpus quale quale fuerit, & cuicunq; uolueritis naturæ unitum, idq; unitate qua libuerit, non posse uerè implere locum, nisi localiter: Id tantum modò conuenit deitati, quia spiritus est, ut adsit non localiter. Et quãdoquidem spiritus est, & quidem infinitus, neq; locis, neq; ullis terminis circumscribi potest. PAN. Nostrum dogma est ita duas naturas in Christo coniunctas esse, ut nullo spacio loci à se inuicem separari queant. An tu assentiris, nec ne? ORO. Non dissentio, modò iustus & uerus adhibeatur sensus. Is autem est, ut nullo spacio loci, quo Christi humanitas contineatur, siue nunc in cœlis, ubi est, siue in terra, dum inter homines uixit, abiuncta sit à diuina hypostasi, cui semper innititur. Iam tenes qua

Proprium est humano corpori ut sit organicũ

intelligentia, quoúe sensu tuũ decretum recipio. Quòd si alia interpretatione illud proposuisti, quasi uelis ob unionem, qua nimium licentiosè abuteris, humanitati Christi tam latè patere atq; deitatem, nõ est quod tale dogma nobis credendum obtrudas, cùm ea proprietas naturæ humanæ adaptari nequeat. PAN. At nos relinquimus suæ cuiq; naturæ proprietates. Sed quæ altera natura cum altera in Christo ita communicabeat, ut unio harum naturarum in una persona neque quam diuellatur, sed potius confirmetur & stabiliatur. ORO. Iam bis terúe dixi quæ proprietates communicentur, queúe non communicentur. Nec minus expositi eas, quæ re ipsa communicari nequeunt, quomodo interpretandæ, cùm interdum uel in scripturis uel apud Patres loquutione communicari tradeantur. PAN. Neq; nos uolumus quouis modo & ratione humanitati communicari, ut sit ubique. ORO. Proinde rem explices, ut quid nam tibi minus denig; percipiam.

PAN. Docendi gratia triplicem Vbiquitatem statuamus, Localem, Repletiuam, & Personalem. Hac distinctione posita dicimus nihil reperiri, quod locali ubiquitate sit ubiq;. Deus enim qui sua natura solus est ubiq;, nusquam est localiter, sed solum repletiue ubiq; est. Sed filius Dei postquam sibi unuit humanitatem, necessariò sequitur quòd ea humanitas in unitem personæ à filio Dei assumpta sit ubiq;, ubiquitate personali. ORO. Locus esset expostulandi tecum, quòd uoces peregrinas, alienas à sacris literis, & à Patribus minimè usurpatas induxeris. Verùm

huius causa docendi te sic loqui, nolo id exagitare. Sed hoc de te quæram, cur duo hæc genera ubiquitatis posueris, nimirùm Personaliter, & Repletiuè, cùm alterum ab altero nil distare uideatur? Humanitatẽ quippe tesseris esse ubiq; cum repletiuè, tùm personaliter: implet enim omnia loca personaliter, ut ais, licet non localiter. Proinde rogo ut mihi explices, quæ nã sit hæc ubiquitas personalis, si non est repletiua? Intelligo quidem à uobis causam huius ubiquitatis repletiuæ quo ad naturam humanam, constitui personam ipsam diuinam, quæ illam cõiunctam secum habeat. Sed erat propterea fabricanda noua ubiquitas, quam personalem appellares? Nonne satis fuisset dicere, Vbiquitas repletiua est, quæ homini Christo propter unitatem cum diuina persona tribuitur? Præterea, ne dissimulem, tua distinctio induci uidetur non ad quæstionis enucleationem, sed ad nouas tenebras inuehẽdas. Dũq; me uis docere quod tibi erat ab initio probandum, sumis tanquam concessum naturam Christi humanam esse ubiq; non localiter, sed repletiue. Spiritibus fortasse dabo ut sine in loco ubi operantur (ut loquar tecum) repletiuè, uel ut alij dicunt definitiuè, uno Deo excepto, qui est ubiq; non localiter, quia non est corpus, neq; definitiuè, quia non est finitus. Est itaq; ubiq; repletiuè: nam cum sit infinitus, omnia implet. Corpus uerò esse in loco non localiter, à me non auferes, nisi euidenter id probaueris & confirmaueris.

PAN. Audi etiam nunc, fortasse clarius dicam. Vocabulum ubiq; rectè intelligẽdum est: usitato enim more includit in se diffusam, & undiq; extensam lo-

calitatem. In hac autem loquutione, Humanitas Chri
est ubiq;, hæc uox Vbiq; non significat ullam loca
tem. Neq; enim deitas ipsa diffusa est, & extensa
caliter. Quomodo ergo diceremus humanitatem di
tati unitam localiter diffundi, & extẽdi? Sed hac
Vbiq; exprimitur utcunq; id quod Paulus dicit, A
dit super omnes cœlos ut omnia impleret, & co
tuit eum ad dexterã suam in cœlestibus super o
principatum, &c. Itaq; si sermo est de Geometrico
cio locorum, humanitas Christi non est ubiq;. E
sibi uolunt illi ecclesiastici scriptores, qui negant
pus Christi esse ubiq;, & recte dicit Gregorius, Ch
stus non est hic per præsentiam carnis (uidelicet V
biliter) qui tamen nusquã deest per præsentiam

Aduerbiũ Vbiq. statis. ORO. Dum rem conaris magis exp
re, illam uideris data opera magis inuoluere. Sig
cantiam huius aduerbij Vbiq; admodum exprim
scurè: ais enim illud claudere in se localitatem
diffusam ac extensam. Nónne planius dixisses a
bium esse, quo Latinis omnia loca significantur,
dicimus, Hoc ubiq; seruatur, id est in omnibus l
Hoc ubiq; dicitur, id est in omnibus locis? Vnde
cimus ipsum Deum esse ubiq;, nil aliud enunci
quàm illum esse in omni loco? Dicimus etiam ubi
bis mortem imminere, quia in omni loco summ
noxij. Sed hæc mittamus. Id miror uos obsc
magnopere delectari, & semper quædam ine
et inenarrabilia fundere, ac in eis ea includere
uoluere, quæ ipsi confinxistis. Deinde illa E
starum more, contracto supercilio quàm gra

Enthusiastæ Diuino numine afflati.

pronunciatis, quo legentes uel audientes mirificè percellatis. Vnde admiratione obstupefacti, à diligentiori consyderatione præsentis rei auertuntur. Et huc pertinet quod subiecisti, cùm dicimus humanitatẽ Christi esse ubique, non intelligimus per Vbique ullam localitatẽ. Quid ita? Quis uos intelligat? Iam noua Grammatica nobis opus erit. Vel pueri norunt Vbique adnerbium esse loci. Quod si est (ut scholæ omnes & docent & intelligunt) cur ab eius significatione localitatem abiungitis? At dicis: Ipsa deitas non est diffusa, & extensa localiter. Fateor: quia non est corpus. Verùm Christi humanitas cùm sit corporea, non potest esse in loco uel (ut uos fingitis) ubique nisi localiter. Proinde sicut deitatem ubique pro ratione suæ naturæ ponitis, id est non localiter, id etiam conseruetis in Christi humanitate, ut eam non collocetis nisi localiter, quemadmodum eius naturæ congruit.

Quod uerò ad Pauli dictum pertinet, quo ait Christum ascendisse super omnes cœlos ut omnia impleret, id certò scias ad tuam constabiliendam sententiam nihil facere. Non enim oportuit iuxta uestrum dogma, illum ut omnia impleret in cœlum ascendere: nam absque eo, uel à prima sui conceptione, quoad humanitatem & diuinitatem omnia implebat. Porrò Apostolus ibi disertis uerbis causam ascẽsus in cœlum exprimit, nimirum ut impleret omnia. Sed uos huiuscemodi effectum ante suam causam fuisse statuitis, cùm Christi naturam humanam etiam ante ascensum in cœlum omnia impleuisse affirmetis: nam & prius fuit naturæ diuinæ hypostatica unione coniuncta, qua una ra-

Christus ascendit super omnes cœlos ut omnia impleret.

tiones ueſtras omnes concluditis. Nos autem Apo
uerba ſic intelligimus: cùm dominus quoad ſuam h
nitatem aliquandiu conuerſatus eſſet in mundo, e
aere fuiſſet cùm in cruce penderet, in mari dum ſ
eius undas ambularet, in ſepulchro item & apud
ros triduo poſtquam animum expirauit, quis tan
ei locus reſtabat attingendus? nullus planè alius,
ut cœlos caperet, quo tum abſolueret locorum o
generũ impletionem, id eſt, ut omnia locorum ge
impleret. Hoc genus loquutionis Auguſt. expr
cùm Apoſtolum interpretaretur, dicentem, De
le omnes homines ſaluos fieri, hoc eſt, inquit, ex o
bus hominum generibus atque conditionibus eos
uat, quos uoluntate ſua prius elegit. Proinde cùm
tummodo cœli reſtarent, quos corpore ſuo adhuc
attigerat, ideo aſcendit ut illos quoque impleret.
hanc intelligentiam eius loci, uir clariſſimus, ac
mius Theologus, Heinrychus Bullingerus, in ſuo
tili ac eleganti libello De manſionibus cœleſtib
ſeruit, & alias etiam ſatis accommodas, & à pa
locum illum Apoſtoli exponentibus hauſtas, q
præſentia, cum breuitati ſtudeam, commemora
perſedebo.

Id tantùm addam, Hieronymum in epiſtola a
pheſ. cap. 4. ea uerba interpretando, ſcribere,
quid corporaliter omnes cœlos & uniuerſas ſub
tates & cœlorum circulos, quos Philoſophi ſph
uocant, tranſiens atque tranſcendens ſtetit in ſu
cœli fornice, & ut ipſo uerbo utar, apſide? An
omnia corporalia contemnens atque deſpiciens &

tens contemplans super cœlos, id est, super inuisibi-
lia stetisse credendus est? quod ego melius puto. De-
scendit ergo in inferiora terræ, & ascendit super om-
nes cœlos Filius Dei, ut non tantùm legem, Prophe-
tasq; compleret, sed & alias quasdam occultas dispen
sationes, quas solus ipse nouit cum patre. Neq; enim
scire possumus, quomodo & angelis & his qui in in-
ferno erant, sanguis Christi profuerit, & tamen quin
profuerit nescire non possumus. Descendit quoq; ad
inferos & ascendit ad cœlos, ut impleret eos, qui in il-
lis regionibus erant, secundum id quod se capere pote
rant. Ex quo sciendum, quod antequam Christus de-
scenderet & ascenderet, uacua fuerint omnia, & ple-
nitudine illius indiguerint, &c. Hanc impletionem
omnium Hieronymus ad ubiquitatem non retulit, sed
approbat eam expositionem, qua dicitur, Christus
ascendisse super cœlos & super inuisibilia stetisse, ni-
mirum in regionibus beatorum, quæ inuisibiles dici
possunt nostra causa, qui uisu ad eas penetrare nõ pos-
sumus. Et nominatim ait, ut impleret eos qui in illis
regionibus erant: quod non diceret, si cœlum beato-
rum esse ubiq; sentiret. Et uacua fuisse tunc illa loca,
& plenitudine illius indiguisse scribit.

Deinde cùm de loco agimus, et illũ humanæ Christi
naturæ comparamus, nec possumus, nec debemus (ut
à initio dixi) à geometrico spacio cogitationes re-
uocare, cum humano corpori, etiam Christi, locus tan
tum hoc modo conuenire queat. Et sicut ubi de mem-
bris eius & cogitamus et tractamus, aliter de illis con
uenire non possumus, quàm de membris & partibus

pulcherrimi corporis humani: ad eundem modū c
de loco eius aut loquimur aut disputamus, de illo
definire oportet, ut humanis corporibus adapte
Inueniſti iam tandem præclarum, ſi Deo placet, ſu
gium, ad quod moliris te recipere, cum tua ſente
uerbis Patrum acriter non tantùm oppugnatur,
expugnatur. Dicunt enim paßim quemadmodum
ſuo loco planum faciam, corpus Chriſti modò nob
in terris non uerſari, atq; ut conſequens eſt, non
ubiq;. Illis tu putas abundè, ſuperq; reſponſum eſſe
cēdo, quod illi aſſerunt, de geometrico ſpacio locor
eſſe intelligendum, cum tamen ipſi mentem ac ſen
uerborū ſuorū nuſquam ad hunc modū ſint inter
tati. Quaſi corpus Chriſti poßit hoc tēpore, ſi ad
aliter quàm circumſcriptū geometrico ſpacio lo
in terris uerſari. Certè Patres non ita rē intellex

Gregorius. Atq; ut de iſto Gregorio (cuius meminiſti) lo
is rectè dixit Chriſtum non eſſe hîc per præſen
carnis. Quod uerò tu interpoſuiſti (Viſibiliter &
caliter) ille nec dixit, neq; ſcripſit. Idcircò Gre
non eſt, ſed tuum inuentum, quod eius dictis aſſu
libuit. Quod ſi liceat in ſcriptis Patrum facere pr
ſtro arbitrio, ſemper quod uolumus, nō ex iudic
loquentur. Gregorius quomodo intellexerit ad
bis Chriſtum mox euidenter expreſsit, cùm illu
quit per Maieſtatis præſentiam nuſquam deeſſe.
dubium eſt per Maieſtatem naturam diuinam in
ri. Et ne ignores, ab Auguſtino illam dicendi for
Gregorius eſt mutuatus: nam totidem uerbis &
loquutus eſt, ut poſtea demonſtrabo. Interea m

tet uestrum acumen, satis equidem obtusum, qui finga
tis, cùm dicitur per Maiestatis præsentiam ubiq; Chri
stum esse, ad naturam quoq; humanam id referri, quæ
habeat ex Maiestate qua pollet ob coniunctionem di-
uinitatis, ut sit ubiq;. Cùm Patres longè aliter sense-
rint: nempe diuinitatem sic iure suæ infinitatis patere,
ut sit ubiq; præsens: At naturam humanam è diuerso
non nisi modo ibi esse, ubi humanitatis cõditio, eam pa-
titur præsentem adesse. Nec aliò scripta Patrum col-
limant, si quis ea & preßius & penitius inspiciat.
PAN. At si rationem habeamus illius diuini modi,
quo affirmamus Deum implere omnia, si uos dederitis
duarum naturarũ unionem in Christo hypostaticam,
non potest fieri quin aut fateamini humanitatẽ Christi
implere omnia, aut uerbis quidem affirmetis personæ
unitatem, re ipsa autem illam dissoluatis, duas faciẽdo
personas: alteram alicubi cum humanitate, alterã ali-
cubi absq; humanitate. Retinet quidem utraq; natura
diuina & humana in Christo suam proprietatem, sed
ita ut persona Christi non diuidatur, & ubicunq; est
diuina natura, ibi habeat sibi unitam humanam natu-
ram: ne si hæ duæ naturæ diuersis locis separentur, di
uersæ fiant personæ. ORO. Nos utiq; Deum
sua infinita essentia omnia implere concedimus, &
unionem hypostaticam duarum naturarum in Christo
(ut sepius audiuisti) non inficiamur: nec tamen ob id
fateri cogimur, humanitatem Christi omnia implere.
Quòd autem sequi contendis, nos uerbis tantùm affir
mare unitatem personæ, re autẽ uera illam dissoluere,
uera calumnia est. Etenim humanitatis unio cum di-

uinitate sic metienda est, ut diuinarum proprietat
non plus in humanitatem transfundatur, quàm eius
rat capacitas. Et sicut infinitas deitatis non potest
bus humanitatis, uel hominis corpusculo terminari
finita humanitas, et corporis humani terminata sub
tia non potest immensæ diuinitati coextendi. Profe
humanum caput reliquo corpori unitur, neque ab
diuersam habet hypostasim, cum tamen spacij non
tum occupet, atq; residuum corporis. Quod si uer
est dum corpus conferimus cum corpore ac utro
finito, quomodo id non est magis concedendum,
creatura cum creatore, & finitum cum infinito co
paratur? Ob uestrum coccysmum sæpe à uobis repe
tum, cogor & ego ad meum simile redire sæpius.

PAN. Hieronymus tamen aduersus Vigil
tium scripsit de sanctis in Christo quiescentibus.
quuntur agnum quocunq; ierit. Si ergo agnus, in
est ubique, certe & sancti ubique esse credendi
Hieronymus. &c. Hæc Hieronymus. Etsi autem non ignoro,
tum hoc loco Hieronymi abusi sint papistæ ad st
endam (ut somniarunt) sanctorum inuocationem
excutiam in præsentia quid de hac argumenta
alioqui sit sentiendum: & quantum pateat illud
calypseos, Sequuntur agnum quocunq; ierit: &
sit discrimen inter Christum, qui est in unitate pe
næ Deus & homo, ac inter sanctos qui non sunt
ra dij.) Tamen cùm Hieronymus sentiat sanctos
pter agnum Christum, quem sequuntur, esse ubiq
manifestum est, quòd sentiat etiam Christum h
nem esse ubiq;. Ita uolui hunc locum recitare, ut

derem quod hæc doctrina de præsentia humanitatis Christi nobiscum in his terris, non fuerit hactenus Ecclesijs ignota, & maudita. Nam si hoc tam prodigiosum esset dogma, quàm illi fingunt, Hieronymus non tulisset impunè, præsertim cũ multos habuerit aduersarios, qui in omnem occasionem reprehendendi scripta eius erant intenti. ORO. De uerbis hisce Hieronymi quomodo sint accipienda, utq; contra uestrã ubiquitatem aperte faciant, dilucidè monstrari posset, sed uisum est potius te ad eruditißimũ librum Heinrychi Bullingeri pastoris ecclesiæ Tigurinæ fideliſsimi nuper editum relegare. Non enim oportet actum agere. Non tamen id tacebo, te mihi uideri locũ illũ totũ & integrum accuratè non legisse. Facilè quippè intelexisses quomodo ibi aduerbium Vbique à Hieronymo usurpetur, Nempe ut significet omnia loca non simul & coniunctim, sed (ut ita dixerim) indefinitè ac diuisim. Et Agnũ unà cũ sanctis tradidit uago discursu, eoq; celerrimo ad loca quæcũq; uisum fuerit, se conferre. Ac illum ita sensisse clarè inde cognoscitur, quod etiam diabolis illud genus ubiquitatis attribuit. Neq; si essent ubique tam agnus quàm sancti (ut ipse interpretaris) haberẽt locũ ullũ quo tenderent. Quis enim eò proficiscitur, ubi præsens adest? Sed me reprimo ne plura dicã. Animaduerto autem penuria firmorũ locorum hæc Hieronymi abs te fuisse allata. Quòd uerò illud eius dictum à nemine sit reprehensum, non debes mirari: quia nemo repertus est adeò hebes, quin uiderit, quomodo aduerbium Vbique acceperit. Iamq; illa ætas ita erat corrupta, ut sancti qui obierant crede-

rentur sua sepulchra inuisere, ut ibi se inuocantibus opem ferrent. Et ipse Christus à multis putabatur per uaria loca discurrere, & in illis quibus libuisset se ostendere. Verùm ijs dictis Hieronymi opponas Augustinum in Ioannē Tractatu 111. ubi scribitur: Et non inquiratur æqualis patri filius ubi sit, quoniam nemo inuenit ubi non sit. Sed qui uult quærere, quærat potius ut cum illo sit, non ubiq; sicut ille, sed ubicūq; esse potuerit. Qui enim homini pœnaliter pendenti & salubriter confitenti ait, Hodie mecum eris in paradiso, secundum id quod homo erat, anima eius ipso die futura fuerat in inferno, caro in sepulchro, secundum autem id quod Deus erat utiq; & in paradiso erat. Et ideò latronis anima à pristinis facinoribus absoluta, et illius munere iam beata, quamuis ubiq; sicut ille esse non poterat, tamē etiā ipso die cū illo in paradiso poterat. Vnde ille qui ubiq; semper est, nō recesserat, &

Scholastici. PAN. At non me pudebit etiam ad Scholasticos Theologos descēdere. Petrus Longobardus in 3. dist. 22. scribit. Christus unus est, ubicunq; est: sed non totum, &c. Hoc falsum est, si intellexeris Christum ubicubi esse, ubi non habeat secum personaliter et coelesti modo unitam humanitatem. Sic enim persona diuideretur. Sed uerum est si per dictum Thomæ Aquinatis interpreteris. Sic enim scribit 3. parte. q. 52. ar. 1. Persona Christi est tota in quolibet loco, sed non totaliter, quia nullo loco circumscribitur, &c. Est & illud uerum, quòd Christus non sit ubiq;, si per totum intelligas corporalem & uisibilem corporis molem, & alias externas corporis circumstantias. Bonauentu-

Magister sententiarū.

tentura scribit, Cùm dicitur, Iste homo est ubiq;, Hoc pronomen Iste demonstrare potest personam Christi, uel singulare hominis. Si personam Christi, sic absque dubio ista uera est, Iste homo est ubique: si uerò singulare hominis, adhuc uera est, non autem per propriam naturam, sed per communicationem idiomatum. Quia quòd conuenit filio Dei per naturam, conuenit isti homini per gratiam. Etsi autem in eo loco addit Bonauentura, Istam propositionem, Iste homo est ubique, falsam esse, si ista uox Homo, ponatur à parte prædicati, & significetur per hoc quòd forma humanitatis extendat se ad omnem locum in Christo: tamen paulò antè dixit Christum ubique esse personaliter. Et ego superius docui humanitatem Christi non esse ubique locali extensione. Sed tantùm eo ineffabili & & cœlesti modo, quo est deitati hypostatice & inseparabiliter unita. Author Cõpendij ueritatis Theologicæ lib. 1. cap. 17. ait: Corpus Christi licet non sit ubique, cùm sit creatura, nec æquari possit in huiusmodi creatori: in pluribus tamen locis est totum, sub diuersis hostijs, & hoc est propter unionem carnis ad Verbum. Vnde meritò habet amplius quàm alia creatura, quòd in locis pluribus simul & semel possit esse, etc. Hic ergo considera mihi quam causam recitet, cur corpus Christi sit totum in pluribus locis, sub diuersis (ut ipse loquitur) hostijs. Propter unionem, inquit, carnis ad Verbum, sed an non propter eandem causam est ubique in omnibus locis? Nusquam enim non est personalis unio carnis ad Verbum. Et cum dicit creaturam non posse in huiusmodi æquari creatori, recte dicit, siquidem intelligat creaturam non ex se &

ſua natura habere, quod ſit ubique in omnibus locis. Oſtendi autem ſupra quod humanitas Chriſti, que eſt creatura, non ſimul ſit in multis locis nec in omnibus locis localiter & circumſcriptiuè: Quòd uerò impleat omnia cœleſti modo, non habeat ex ſe ipſa, ſed ex deitate, cui perſonaliter & inſeparabiliter eſt unita. Hæc Scholaſticorũ teſtimonia non commemoro, quòd ſentiam nobis ad has ſordes eſſe redeundum, & ab eis opem ad ſtabilienda pia dogmata petẽdam. (Non enim ignotũ eſt quantum cœleſtẽ doctrinã humana Philoſophia corruperint.) Sed ut oſtendã quod ne ipſorũ quidem ſententia, ſi ſophiſticæ ſordes abluantur, & dextrè intelligãtur, nobiſcum pugnet. ORO. Nullis adhuc ex Patribus oſtendere potuiſti, qui alicubi ſcripſerint Humanitatem Chriſti eſſe ubique. Vnum tantum Hieronymi dictũ protuliſti perperã abs te intellectũ, et ex libello eius parũ laudato deſcriptũ. Nunc denũ (ſi Deo placet) etiã ſcholaſticos à te ſtare contendis. Verùm ut erres toto cœlo, ex eorũ uerbis patefacã.

Verba Petri Lombardi.

Longobardus (ut ipſe quoque refers) in 3. diſt. 22. hac de re ſcripſit, et ex uerbis Auguſtini cõtra Felicianum cap. 14. concludit ad hunc modum, Chriſtus eodem tempore, totus erat in ſepulchro, totus in inferno, totus ubique, ſicut & modo totus eſt, ubicunque eſt, ſed non totum. Nec in ſepulchro, nec in inferno totum erat, etſi totus. Sicut Chriſtus totus eſt Deus, totus homo, ſed non totum. Quia non ſolùm eſt Deus uel homo, ſed & Deus & homo. Totum enim ad naturam refertur. Totus autem ad hypoſtaſim. Sicut Aliud & Aliquid ad naturam: Alius uerò & Aliquis ad perſo-

um referuntur. Vnde Iohannes Damascenus: Totus Christus est Deus perfectus, non autem totum Deus est: non enim solus Deus est, sed & homo. Et totus homo perfectus, non autem totum homo: non solum enim homo, sed & Deus. Totum enim naturæ est repræsentatiuum, Totus autem hypostaseos, &c. Quid apertius contra te dici possit non uideo. Concedit quo ad hypostasim Christum esse ubique, Negat uerò quo ad naturam humanam. Atque hoc exprimit duabus differentibus uocibus Totus & Totum. Cæterùm sententiam eius falsam esse dicis, quia non existimas dandum Christum alicubi esse, ubi non habeat secum humanitatem personaliter, & cœlesti modo unitam. Frustra omnino hæc abs te interponuntur: quia non semel dedi, ubicunque fuerit diuina hypostasis, eam habere sibi coniunctam humanitatem, cùm tamen humanitas ad tot loca non pertingat, quot diuina hypostasis implet: Nec tamen propterea soluitur unio. Sed ad Longobardum redeo. Quod ille negat, tu affirmas, & dogma eius ut falsum repellis, nisi per Thomæ Aquinatis dictum id emolliamus, quo in 3. parte. q. 52. articulo 3. ait, Persona Christi est tota in quolibet loco, sed non totaliter, quia ullo loco non circumscribitur, &c. Quod ab Aquinate affers, id sanè ad corpus Christi minimè attinet, sed ad personam diuinam, quam ille ait non esse totaliter in loco, quia loco ullo non circumscribitur. Neque ibi est sic tota, quin locum illum excedat: non enim circumscribi potest, cũ sit spiritus immensus. Ista sanè de corpore Christi dici non possunt, cùm & finitum sit, nec propter unionem hypostaThomas Aquinas.

ticam cum deitate in ſpiritum abijt. Quare adhuc &
ambitur & continetur loco & circumſcribitur. Vt
hoc liquidius intelligeretur, id te oportuit addere
quod ab eo ſubijcitur, Nempe, Sed nec omnia loca ſi-
mul accepta eius immenſitatē cōprehendere poſſunt.
Quin imò ipſe ſua immenſitate omnia comprehendit.
Hoc autem locum habet in his quæ corporaliter &
circumſcriptiuè ſunt in loco. Quod ſi totum ſit alicu-
bi, nil eius ſit extra. Sed hoc in Deo locum non habet,
&c. Iam clarè potes animaduertere illum non refer-
ad corpus dictum ſuum, uerùm ad hypoſtaſim diuinā.

Sed quia tibi libuit à Longobardo ad Aquinatem
prouocare, quid ille ſenſerit ex loco quem adduxi
demonſtrabo. Ad hunc modum illic ſcripſit, Maſcu-
num genus refertur ad hypoſtaſim uel perſonam: ne-
trum autem genus pertinet ad naturam. In morte au-
tem Chriſti licet anima fuerit ſeparata à corpore, n
trum tamen fuit ſeparatum à perſona filij Dei. Et
in illo triduo mortis Chriſti dicendum eſt, quod to
Chriſtus fuit in ſepulchro, quia tota perſona fuit
per corpus ſibi unitum: & ſimiliter totus fuit in inf
no, quia tota perſona Chriſti fuit ibi, ratione ani
bi unitæ. Totus etiam Chriſtus erat ubique ratio
uinæ naturæ, &c. Hucuſque à Longobardo nil diſ
pat. Sed mox ad primum argumentum reſpondem
it, Corpus quòd tunc erat in ſepulchro, non eſt
perſonæ increatæ, ſed naturæ aſſumptæ, &
per hoc quod corpus Chriſti non fuit in inferno,
excluditur quin totus Chriſtus ibi fuerit, ſed oſt
tur quòd non fuit ibi totum, quod pertinet ad

nam naturam, &c. Hic quæso te attentè consyderes huius uiri sententiam esse, corpus Christi non fuisse in inferno, & præterea Christum ibi non fuisse quo ad totam naturam humanam. Tibi nunc permitto ut in interpretando quantam libuerit dexteritatem adhibeas. Id certè nunquam assequeris, ut allatorum dictorũ sensum inuertas. Et nihilominus ut Aquinatis mentem ista de re cognoscas, id referre non pigebit, quod in summa eius contra gentiles habetur. In Christo, inquit, fuerunt duo hæc admiranda, quæ in nobis non sunt. Etenim nobis motis mouentur omnia quæ sunt in nobis, per se uel per accidens. Sed non ita fuit in Christo: quoniam eo moto, persona uerbi mansit immobilis. Rursus in nobis natura excedit personam, quia humanitas inuenitur extra individuũ suũ. Verùm in Christo persona excedit naturam assumptam, quia persona illa ubiq; est, non assumpta natura. In his uerò in quibus non est nisi una natura, uerum est quòd persona non excedit naturam, &c. Iam citra controuersiam constat Pantache, hunc antesignanum Scholasticorũ planissimis uerbis aduersum te facere.

Idem etiam sensit Petrus Tarantasius, Nam inquit, Homo in subiecto supponit pro persona, in prædicato pro natura, quia in prædicato est loco formæ, ratione inherentiæ prædicati ad subiectum. Ideò cùm Homo ponitur à parte subiecti, dicendo, Christus homo est ubiq;, uera est propositio. Cùm uerò à parte prædicati, est falsa, ut si dicatur, Christus est homo ubiq;, quia significatur humanitatem eius esse ubiq;. Hinc communicatio idiomatum fit in persona, non in natura. Petrus Tarãtasius.

Vbi ergo persona supponitur, attributa utriusq; natu-
turæ ei conueniunt, & prædicantur de ipsa, secun-
ubi natura. Hinc quamuis conuenienter dicatur, Chri-
stus homo est ubique, non tamen Christus est hom-
ubiq;, &c. Vult itaq; aduerbium, Vbiq;, referri ad
iectum, id est personam, quæ est ubiq;, & est hom-
quamuis eius humanitas non sit ubiq;.

Albertus Magnus.

Nec diuersum Albertus existimauit, quem nos-
Magnum: etenim ait, Propositio ista, Filius Dei est
mo ubiq;, duplex est ex sensu compositionis ac di-
nis. Si enim aduerbium Vbiq; determinat Verbū
tia compositionis cum prædicato, est falsa: si aute-
feratur ad subiectum cum compositione particip-
intellecti, uera est, in hoc sensu, Filius Dei ens ubiq-
homo. Possem & aliorum Scholasticorum suffr-
colligere, Vdalrici, Gabrielis Biel, Riccardi de
ulla, &c. Sed hæc arbitror abundè sufficere.

PAN. Nihil interea Bonauenturæ, nil Co-
dio theologiæ respondes, cùm tamen eorum te-
nia ut aspernãda respuere nequeas. Quare te op-
uel istos etiam confutare, uel ostendere illos tuam
tentiam minimè lædere. ORO. Rectè dicis:
ueniebam. Bonauenturam omnino astipulari
sententiæ tibi confirmo. Et sanè ita oportet, nisi
ex Italico Bonauentura fieri Græcus εὐτυχὴς. In
sentent. Distinct. 22. ita scribit. Quæstio ista
esse de re & de sermone. Si de re, dicendum est
quod humanitas Christi nõ fuit, nec est ubicũq;
diuinitas, cùm deitas sit immensa & incircumsc-
nullum sibi locum determinans. Humanitas uero

Bonauentura.

ſit finita & creata, determinat ſibi locum, quantum ex parte ipſius eſt. Quãuis ſacramentaliter ſit in pluribus locis. Potuitne iſte ſcriptor ore magis rotundo tibi reſpondere? Dixit utiq; planißimè quid ſentiat de Chriſti humanitate. Verùm quia ſeculo eius de cauſa Euchariſtica homines, ut etiam uos hodie facitis, perperam ſentiebant, ideò Sacramentalem exceptionem interpoſuit: quam cum uideret obſcuram, & parum probabilem, uno uerbo attigit. Et ne ſolus ipſe tantum pondus tolleret, Innocentij authoritatem interpoſuit, dicendo: Vnde Innocentius I. ait, quòd Chriſtus eſt alicubi ſacramentaliter, alicubi perſonaliter, alicubi localiter: quia in cœlo eſt localiter, perſonaliter ubiq;, ſacramentaliter autẽ in altari. Hæc ſcripſit de re ipſa uirus Bonauentura: quod tibi propterea dictum uolo, ut intelligas ea, quæ poſtea ſequuntur, de quibus gloriaberis, ad ipſam rem, de ſententia huius autoris, nõ pertinere, ſed ad locutiones, & communicationes uerbales ἰδιωμάτων ſpectare. Pergit igitur, & ait: Porrò ſi queſtio ſit de ſermone, dicendum quod hæc dictio Homo poteſt uel ſubijci uel prædicari. Dumq; ſubijcitur, locutio uera eſt: quia cum dicimus, Iſte homo eſt ubiq;, Pronomen Iſte poteſt demonſtrare Chriſti perſonam uel hominis ſingulare. Si perſonam Chriſti, ſic homo iſte ubiq; eſt: ſi autem ſingulare hominis, adhuc uera eſt per ἰδιωμάτων communicationem, non per naturam humanam. Et quod conuenit filio Dei per naturam, conuenit filio hominis per gratiam, ſeu per gratiam unionis, &c. Quæ dicuntur obſecro diligenter expendas. Quoad rem ipſam inficiatus eſt naturam

humanam esse ubiq;. Nunc uerò, quod attinet ad lo-
tiones & dicendi formulas, id concedit, aitq; id fie-
iuxta communicationem ἰδιωμάτων. Quæ utut sit ve-
balis, à mendacio tamen uindicatur, propter unionem
duarũ naturarũ. Quocirca frustra te siuisti esse ver-
particula, Per gratiam, seu per gratiam unionis, cu-
ista non ad rem, sed ad sermonem pertinere te-
Cumq; ait conuenire filio hominis per gratiam, q-
filio Dei per naturam, de ipsa enunciatione intel-
dum est, Nempe quòd propria filij Dei enuncia-
de filio hominis propter gratiam illi concessam hy-
statice unionis cum diuinitate. Et ne ibi Lector in-
geret, se magis explicuit, è uestigio subijciendo: si e-
tem uocabulũ Homo ponatur ex parte prædicati,
positio falsa est: quia uocabulum Homo prædicatur
tione formæ, atq; aduerbium Vbiq; determinat p-
catum, sicq; insinuatur quod forma humanitatis s-
omnem locum extendit, quod falsum est, cùm det-
natum habeat locum. Ideò sicut ista est falsa, Chri-
semper fuit homo, ita ista est falsa, Christus est n-
homo, &c. Iam liquet, ut arbitror, quidnám iste a-
de tota re sentiat. Ipse nunc uideas quid te dele-
Videas posthac, me monitore, ut cautius adducas
ad tuam causam tuendam, et caue ne fucum faci-
fortè uelis re detecta pudefieri.

Compendium Theologiæ.

Nunc uenio ad tuum Compendiũ Theologiæ, q-
potius est eius Dispendium. Id omnino dat non
sed meæ sententiæ testimonium, cùm perhibeat
dis uerbis, Corpus Christi non esse ubiq;, quòd s-
tura, nec in huiusmodi æquari possit creatori.

tibi uis apertius aut clarius dici? Quòd si posteà subdit, Id tamen in pluribus locis esse posse, id est, sub diuersis hostijs: torrente Papistici erroris inuoluitur. Cumq; illius exceptionis nullam causam uel probabilem posset reddere, ad uestram Gorgonem se conuertit, id est, ad hypostaticam unionem, quam uos consueuistis omnibus argumentis, quamuis firmissimis, opponere. Hic tu Pamache aduersus eum agis, quem tibi aduocaueras testem, de illo quærens, Cur si corpus Christi ob illam unionem potest esse in multis locis, propter eandē non possit esse in omnibus, id est, ubiq;. Causa est in promptu, Quia uidet corpus Christi esse creaturam, & ideò non posse coextendi creatori. Hoc tu ceu uerum largiris, si hoc habere intelligeretur ex seipso ac natura sua. At iste tuus autor id nullo modo nuit ei conuenire. Deinde hoc ipsum uelle concedere uideris, si localiter & circumscriptiuè poneretur esse ubiq;. Verùm ut sæpius dixi, quicunq; uel micam prudentiæ habent, corpus nolunt in loco aliter esse, quàm localiter et circumscriptiuè. Papistas nihilominus excipio, ut qui hac in re sapientiæ omnino sint expertes. Etenim ob suam præsentiam carnis Christi, quam in Eucharistia tueri nolunt, hoc mendaciū fabricati sunt, quòd postea uos tanquam eorum similj amplectimini. Nec sanè huiusce modi Chimeram ex alijs lacunis expiscati estis. Nam Scripturæ atq; Patres nusquam corpori locum attribuerunt non localiter.

Papistarū figmentum est, corpus Christi esse in loco non localiter.

Tu quidem Scholasticos fortiter affirmabas tecum sicere, sed illos tibi etiam quàm maximè aduersari deprehensum est. Ipse quidem non potui eis detrahere

ſophiſticen et barbariem, uerborumq; ſordes: dexteri tamen ac uerè me illos intellexiſſe non dubito. Quæ circa omnes eorū ſcholas & iudices & teſtes appello.

PAN. Si partes noſtras ij lutulenti homines tueri nolunt, hinc abeant quo digni ſunt. ORO. Quod hæc interpoſita ſint, mihi uitio non eſt dandum: tu in hoc cœnum me impuliſti. Sed benè habet, quod inde non ſine aliquo fructu emerſi.

PAN. Vtcunq; ſit, nunc ab illis ad irrefragabilem uirum D. Lutherum me recipio, qui ex ſeſſione Chriſti ad dexteram Dei patris docet corpus eius eſſe ubiq;, nec aliud intelligit quàm quod Paulus dicit, Aſſe diſſe Chriſtum ſuper omnes cœlos ut omnia impleret, & quod uulgò dicitur, Duas naturas, diuinam uidelicet & humanam, in perſona Chriſti eſſe hypoſtaticè, indiuiſè, indiuulſè, inſeparabiliter unitas. Quare ſi ne natura humani corporis, quod eſt cum deitate hypoſtaticè & perſonaliter unitum, impedit quo minus Chriſti humanitas impleat omnia cœleſti modo, ita multò minus impedit, quo minus corpus & ſanguis Chriſti ſint in ſacramento, hoc eſt pane & uino Cœnæ, non quidē localiter, nec circumſcriptiuè, nec tran ſubſtancialiter, ut Papiſtæ nugantur, ſed uerè, realiter & ſubſtancialiter, & cœleſti rationi humanæ incom prehenſibili modo præſentia. ORO. Velim ex tra προσωποποιΐαν cauſam inter nos agi. In Luthero nos quoq; agnoſcimus dona Dei præclariſſima, ac præ ſertim ſpiritum fortitudinis & uehementiæ in Euangelio prædicando, nec uſquam de illo niſi honorifice tiſſimè loquor. At nō obliuiſcimur interea illum fuiſſe homi-

Lutherus.

hominem, & in ijs quæ scripsit, aliquando errasse. Ne que latet nos etiam alios uiros extra illum eadem ætate fuisse à Deo instructos præstantißimis charismatis & singulari doctrina. Ideò cum Heroicorum uirorum pugnantes proponuntur sententiæ, de illis ad analogiam diuinarum scripturarum & fidei iudicandum censemus, non ad amußim humanæ authoritatis. Nec omnes qui Luthero maximè fauent, omnibus eius dogmatis citra discrimen subscribunt. Quàm uerò is probet firmis & solidis connexionibus ex sessione ad dexteram patris, corpus Christi esse ubique, inter nos tractabimus. Remoueatur interea persona de scena, & de reipsa scripturis & iustis rationibus inter nos putemus.

De loco Pauli ad Ephes. quo testatur Christum per ascensionem impleturum fuisse omnia, non amplius quicquam dicam: nã de illo superius disserui, ut uidebatur. Et miror illum abs te denuò repeti. Nec nõ rideo, quod tanto studio concludas, nihil impedire quominus corpus & sanguis Christi adsint in pane ac uino, uerè, realiter & substancialiter, cœlesti modo & à ratione minimè comprehensibili, quasi nescianus totam istam disputationem à uobis nõ alia de causa esse susceptam, nisi ut uestram illam crassam & pinguem præsentiam confirmaretis. Verùm diuino, cùm esses transitionem facturus ad tractanda quæpiam alia, te uoluisse ad extremum ea claudere, quæ hactenus dixisti, graui, sonanti, & plena oratione, ideoq; aduerbia plura congessisse, dicendo: Realiter, substancialiter, non localiter. Deinde adiecisti Verè, cœlesti modo, & rationi

humanæ incomprehensibili. Ad hæc aũt uerba & cũ similia mirũ dictu est, quàm uestri obstupescãt. PAN. Mihi nunc non uacat iocis tuis occurrere. ORO. Equidem ad leuandum colloquij fastidium apertis in cis & admodum parcè utor: uerùm ipse mihi uideri multò artificiosius iocari, ut qui nihil ferme hucusq dixeris, quod nõ possit uideri dictum per iocum. Ne persuadere mihi nequeo, cùm doctrina sis non contemnenda, te ita sentire ut loqueris. Et fortassis hæc animi causa, ut animum grauioribus exercitijs fatigatum nonnihil remittas. PAN. Quàm serio in excutiendo mysterio seu argumento de Ascensione domini, & sessione eius ad dexteram patris, satis (opinor) cognosces, quibus potissimũ uestri abutuntur articulis fidei, ad proturbandum corpus & sanguinem Christi è cœna domini. Neque iam quæritur, neque dubitatur, num Christus in cœlum ascenderit. Manifestum enim est, quòd Christus à sua resurrectione quadragesimo die ascenderit è monte Oliueti, uidentibus discipulis, ad cœlum, & subductus sit nube ab oculis eorum. Hæc uisibilis ascensio Christi in cœlum habet certissima propheticæ & apostolicæ scripturæ testimonia, & cur facta sit in catechismo explicatum est: nec est huius loci. Illud autem in præsentia quæritur, num Christus in cœlum ita ascenderit, ut nec ea nisi iuxta diuinitatem fuerit in cœlo, & nunc in cœlo localiter & circumscriptiuè ita commoretur, ut non sit etiam (sed cœlesti & inenarrabili modo) in terra, nec corpus & sanguis eius possint uerè & realiter esse in cœna. Hoc certè negandum non est, nec ab

fir

firmis argumentis demonstratũ est, quod corpus Christi hoc externum & mundanum cœlum ita occupet ut necesse habeat à cœna substantialiter abesse. Non ignoramus cœlum illud mundanum, & si ipsum non est in loco (quemadmodum supra dictum est) tamen habere & continere intra se sua loca quæ sint diuersa, & à locis huius terræ iuxta humanos oculos longe distantia. Nec hoc negamus, quin Christus posit etiam localiter in hoc cœlo esse, & ubicunque uoluerit localiter ac circumscriptiuè se patefacere. Sed illud nunc agitur, Num quemadmodum loca cœlestia & terrestria distant inter se in oculis humanis, ita etiam distẽt corpori Christi, quod est cum deitate personaliter & inseparabiliter unitum.

Cause ascẽsionis Christi.

ORO. Ascensionis Christi causæ, quas tu prætĕristi, paucis attingi possunt. In cœlum quippe subuectus est, ut nobis mansiones ibi pararet, ad illam beatam patriam aditum patefaciendo, utq; inde ad Apostolos mitteret spiritum sanctum, nec non ut apud patrem pro nobis intercederet, atque ut post ignominiosam & probrosam mortem, gloria summa, decore, ac Maiestate felicissimè ornaretur, spemq; faceret in se credentibus futuræ illorũ ascensionis & gloriæ. Nec uolebat Apostolos humanitati suæ, uel potius conuersationi eius aspectabili ulterius detimere affixos. Iam (ut arbitror) planum feci quæ fuerint ascensionis potissimæ causæ. Cùm autem quæris, An Christus antea in cœlo fuerit quo ad humanitatem quàm eò ascenderit: non fuisse respondeo. Nam etsi persona seu natura diuina semper ubique fuit, humanitate nihilominus in

terris continebatur, usque ad finem salutaris ministerij, neque scripturæ sanctæ aliter tradunt.

Quomodo uerò id sit intelligendum, Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo, antea et quidē multis exposui. Cæterùm non grauabor de hoc loco & alijs consimilibus tibi etiam nunc referre, quid Patres ante nos docuerint.

Ambrosius

Ambrosius de Fide lib. 2. cap. 4. Hic est panis uiuus qui descendit de cœlo. Panis hic caro est, sicut ipse dixit: Hic panis quem ego dabo, caro mea est. Hic ergo qui descendit, hic est quem pater sanctificauit & misit in hunc mundum. Hæc ipsa litera nos docet, sanctificatione non diuinitatem eguisse, sed carnem. Denique ipse dominus dixit, Et ego memetipsum sanctifico pro uobis, ut agnoscas, quod & sanctificatur in carne pro nobis, & diuinitate sanctificat, &c. Hic uidemus aliquem & passionem, quæ per hæc uerba sanctificare & sanctificari exprimuntur, per duas naturas distributa. Panis autem, hoc est caro, dicitur è cœlo descendisse, quia Verbum quod è cœlo descendit, panem illum in carnem, suam fecit, & ideò quod ad locutionem attinet, ea de cœlo uenisse dicitur.

Vigilius.

Vigilius lib. 2. contra Eutychen, Si quis dicit hominem, id est, carnem de cœlo descendisse, profectò anathema est. Quid sibi ergo uult, quod idem dominus ait, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo? Et iterum: Si uideritis Filium hominis ascendentem illuc ubi prius fuit? Ecce Filius hominis legitur descendisse de cœlo, & constet solum Verbum, id est, nudum sine carne, [illegible]

hominis appellatione descendisse de cœlo. Ecce caro, id est, Filius hominis legitur tunc fuisse in cœlo, quæ nunquam inde descendit, & quæ illuc necdum ascenderat. Sed hoc est unius personæ mysterium: hoc unius Christi ex utroq; subsistentis sacramentum. Hoc utrarum q; naturarum proprietatis arcano. Quia enim Verbum cum carne ita est inexplicabili modo unitū, ut ipsum Verbum caro dicatur, licet Deus non sit caro, quia non est in carnem mutatum, ut caro dicatur Deus, licet non sit in deitatis naturam mutata, sed Verbum propter carnem suam homo sit, & caro propter uerbum Deus sit, & quicquid est proprium Verbi, sit commune cum carne, & quicquid est proprium carnis, commune cum Verbo sit, quomodo Verbum & caro unus est Christus & una persona. Idcirco propter hanc communionem, quam salua naturarum proprietate personæ unio præstat, & Verbū cum carne, id est, Filius hominis legitur descendisse de cœlo, cùm solum Verbum sine carne descenderit. Et Deus legitur sepultus, & in monumento tribus iacuisse diebus, cùm sola caro sepulta est. Ergo secundum proprietatem naturæ sola caro mortem sensit, sola caro sepulturæ officium habuit: secundum unionem autem personæ Deus mortuus est & sepultus, quia persona Verbi in carne est, quæ mortis dispendium sensit. Ergo secundum proprietatem naturæ Verbum descendit de cœlo, non caro: secundum proprietatem naturæ caro mortua est, non Verbum. Item secundum unionem personæ & caro descendit de cœlo & Verbum est mortuum atq; sepultum. Cùm ergò dicimus Dominum pas

sum & mortuum, non expauescat Nestorius: quia secundum unionem personæ dicimus. Rursum cùm dicimus Dominũ nec passum nec mortuũ, quia est omnino impassibilis, non formidet Eutyches: quia secundum naturæ proprietatem dicimus, magisq; nec nos dicimus, sed scripturæ loquuntur.

Fulgentius. Fulgentius ad Thrasimundum lib. 2. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo. Nõ quia humana Christi substãtia fuisset ubiq; diffusa, sed quoniam unus idemq; Dei Filius atq; hominis Filius, uerus Deus ex patre, sicut homo uerus ex homine, licet secundum ueram humanitatem suam localiter tunc esset in terra, secundum diuinitatem tamen, quæ loco nullatenus continetur, cœlum terrasq; impleret & terram. Istam Christi ueram humanitatem, quæ localis est, ut ueram diuinitatem quæ incircumscripta semper est, Apostolica quoq; doctrina cernimus intimari. Nam ut Christi ueri hominis corpus localiter cõtineri Paulus monstraret Apostolus, ait ad Thessalonicenses: Quomodo conuersi estis ad Deum à simulachris, seruire Deo uiuo & uero, & expectare filium eius de cœlis, quem suscitauit à mortuis Iesum, ipsum utiq; monstrans corporaliter de cœlo uenturum, quem corporaliter à mortuis nouerat suscitatum. Propterea rursus ait, Nostra autem conuersatio in cœlis est, unde etiam saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum, &c.

Cyrillus. Cyrillus in Oppositione Anathematismi 11. Verbum tamen quamuis proprium dicatur Verbi corpus, factum ex muliere, & nostris cognatum secundum carnem

caro intelligitur. Iam & Beatus Paulus inquit, Primus homo ex terra terrenus, secundus è cœlo, ipse autem est Christus. Nullus ascendit in cœlum, inquit, nisi qui de cœlo descendit Filius hominis. Porrò dicimus, quòd non ex cœlo corpus unitum sibi deferens, Verbum hæc dicat, uerùm cum desursum existens ipsum & ex cœlo corpus hoc sibi proprium fecit & unitum tam mirè, ut nec edici nec intelligi ualeat absq; tonfusione & confusione. Ideoq; & de cœlo dicit se uenisse, quando factus est Filius hominis, &c. Idem Cyrillus in Ioãnem lib. 4. cap. 22. Et certè corpus Christi in cœlo prius non fuit, quod nec fuit quidem ante incarnationem. Verbum autem Dei æternaliter cum patre est. Probè igitur Paulus, Vnus, inquit, Dominus Iesus Christus. Vnus enim & ante incarnationem, & post incarnationem filius est. Non est ergo alienum à Verbo corpus suum, idcirco filium hominis appellat Verbum Dei quod de cœlo descendit, quodq; secũdum Euangelistam caro factum est, nõ in carnem mutatum: immutabilis enim natura est. Sed quia reuera homo factus est, in templo quod à Virgine assumpsit, habitare uoluit. Dicit autem se ascensurum illò, ubi prius erat, ut audientes intelligant de cœlo quoq; ipsum descendisse, & sic non ut homini, sed ut Deo attendentes, uiuificam carnem suam esse facilius credant.

Proinde audiuisti quomodo propositæ abs te quæstioni responderim, & in eo quod respondi tantisper acquiescam, dum tu ex uerbis Dei me aliter docueris esse statuendum. Sed quando mihi demonstrabis Christum quo ad humanitatem potuisse in cœlum ascen-

dere, si iam ibi præsens aderat? Nemo se ad ea confert loca, quæ iam impleuit. Et ei qui est ubique non superest locus quo se moueat. Quòd si Deus qui alioqui omnia occupat, nonnunquam legitur aut descendisse, aut transiuisse, id procul dubio accipiendum est iuxta illam formam seu speciem, quam pro tempore ad se patefaciendum assumebat. Ea uerò cum esset res finita & creata, eorum motuum atque mutationum erat capax. Vnde Christi diuina hypostasis, quæ infinita erat, quo ad suam naturam ascendere non potuit, cùm iam omnia occuparet. Humanitas autem quæ suas habet dimensiones terminatas uerè in cœlum ascendit: Vbi si antea fuisset, eò non potuisset attolli. Atque si uerè ab angelo dici potuit Christi defuncti corpus in sepulchro non fuisse, ac ipse Christus uerè dixerit, se apud Lazarum nõ fuisse, cum diem suum obijt: Cur à nobis dici non potest, & quidem uerè, illum quoad humanitatem in cœlo antea non fuisse, quàm eò ascenderit? Nec scio quomodo sententiæ uestræ liceat per orthodoxam fidem subscribere, cùm statuatis ascensionem domini tantùm ad speciem & pompam quandam pertinuisse, ceu ad Christi humanitatem illa nil sublimitatis, aut excellentiæ nouæ adiecerit. Hoc tibi responsum habeas de prima quæstione, qua rogabas, An humanitas Christi fuerit in cœlo ante ascensionẽ.

Quomodo intelligatur Deus aut descendere, aut tranlire.

Quod uerò secundò interrogas, An in cœlo nunc ita contineatur loco quo ad corpus, ut non sit præsens in terris, Annuo. Nam dixit apertè se relinquere mundum. Et, Me non semper habebitis. Quæ sanè uerba, tantùm quo ad humanitatem possunt locum habere, cùm

cùm deitas perpetuò sit ubique. Et Petrus citra ullum uerborum inuolucrum testatus est Actorum 3. illum oportuisse cœlum accipere usque ad tempora restitutionis omnium. Ex cuius dicto uerè colligimus, illum eò ascendisse, atque ibi usque ad extremum diem esse mansurum. Et obseruandum non leuiter est, Apostolum ad hunc modum loqui, eum oportuisse cœlum accipere: quòd si ascendendo accepit cœlum, illud antea non acceperat ut ibi esset.

Cùm deinde subijcis, à nemine firmis argumentis demonstratum esse, Corpus Christi hoc externum & mundanum cœlum ita occupare, ut necesse habeat à Cœna uerè, realiter & substantialiter abesse, admiror te uehementer, qui adeò in ipsa luce caliges, ut ualida nostrorum argumenta non potueris adhuc perspicere. Si testimonia diuinarum literarum nihil probat, si proprietates humanitatis Christi nihil probant, si ascensionis dogma nihil probat, si patrum sententiæ nihil probant: (quemadmodum ais) à nemine demonstratum est, Corpus Christi sic cœlo contineri, ut non amplius in terris uersetur. Ad hæc autem præcipua capita nostræ rationes, quæ sunt permultæ, referuntur. Deinde quid nostris argumentis oportuit oppugnare corpus Christi uerè, realiter, & substantialiter (ut uos rotundè, seu potius crassè, loquimini) in pane atque in uino adesse, cùm id nihil aliud sit quàm humanum figmentum? Nusquam enim scripturæ id testantur: neque Christus id unquam est pollicitus. Non fuit diu ludenda opera, quæ melius impendi potest, in hominum Chimæris oppugnandis, cùm illæ facilè ac ultrò sese prodant.

Cœlum autem mundanum in loco non esse (ut de nuò hîc repetis) quod hac ὑπόθεσιν tibi uehementer placeas, nunc rursus exagitare, quòd superiùs ea de re copiosè dixerim, in præsentia non institui. Verùm id ga deo te dare, Christi corpus etiam localiter in hoc cœlo esse posse, & ubicunque uoluerit, localiter ac circumscriptiuè se patefacere. Si das, Christi corpus localiter in cœlo esse posse, cur etiam super omnes cœlorum orbes non etiam concedis esse posse localiter?

PAN. Quod extra cœlum supremum nihil sit.

ORO. Quis hoc docuit? PAN. Aristoteles, qui scribit, Extra cœlum nihil esse. ORO. Fideles attamen omnes confitentur, Christum super omnes cœlos ascendisse. Vnde nos colligimus, & recte quidem (ut spero) supra orbem supremum regiones beatorum felicissimas extare, ubi corpora sanctorum iuxta Christum suo tempore sint collocanda, quæ nihil uetat, purissimo aliquo aere uel quopiam alio corpore illius uice sic ambienda, ut loco suo non careant. Aut sine ambitu externi corporis ibi degant, modò suas distantias, propinquitates, lineamenta, membra, & terminos retineãt, quia morosi non usque adeò sumus, ut anxij de corpore ambiente, ut ipsum necessariò exigi dicamus ad corporum beatorum conseruationem. Non aũt debes à me id nunc expectare, ut ego quales illa sint Christi & beatorum loca describam. Sat nobis id esse debet, quòd scripturæ ea appellent loca, quòd Christus dicat, In domo Patris mei multæ sunt mãsiones, quodq; idẽ dixerit discipulis, Ego eo, ut parem uobis locũ. Vniuersam autẽ locorum illorũ descriptionem

*ptionem tum demum uidebimus, cùm post beatam illam resurrectionem unà cũ corporibus nostris eò perueniemus. Interea illarum rerum exacta & distincta cognitio nec ad uocationem, nec ad ædificationem nostram quicquam facit. Sed id contendimus, humanum corpus uel habeat diuinitatem sibi coniunctam, uel non habeat, in hoc nostro mundo esse non posse, quin occupet locum & à circumstanti corpore ambiatur, nisi fortaßis in mundo uacuum quis uoluerit constituere. Quibus addo non illi posse ullo modo congruere, ut in loco non localiter sit.*

PAN. *Tu, dum hæc ita narras, uideris mihi de humanitate Christi, & eius corpore non aliter cogitare, atq; de alio hominis corpore. Verùm ne sic erres, paulò altius rẽ constitui repetere, quatenus ad Christi ascensionem spectat, qui non sic in cœlum ascendit, ut hæreat in aliquo certo huius externi cœli loco. Tametsi enim non adimimus ei suam potestatem, quin (ut iam diximus) poßit, si uelit, etiam in hoc externo cœlo uisibiliter cõmorari, tamen ascensus eius non sic ipsum in hoc cœlo collocauit, ut non etiam transcenderit, & superauerit omnes cœlos. Non Christianum, sed Aristotelicum est, Corpus Christi intra ambitũ huius cœli concludere. Aristotelis uox est, non Christi,* ἔξω τοῦ οὐρανοῦ οὐδ' ἐστὶν οὐδ' ἐνδέχεται γενέσθαι σῶμα. *Extra cœlum non est, nec potest esse corpus. Fingamus autem Christum in hoc externo cœlo habere suum localem thronum, seu (ut uocant) residentiam. Quid? Certè præstantiori corpori, quale est corpus Christi, debetur etiam præstantior locus in cœlo. Scio cœlum, hominibus sub eo*

habitantibus esse undiq; sursum. Sed si Aristoteli, hoc est, Physicis speculationibus credendum est, non Polus Arcticus, qui supra nos in nostro hemisphærio appareret, sed Polus Antarcticus, qui infra nos est, superior, ideoq; etiam præstantior pars cœli iudicatur. Quare si Christo præstantior locus in cœlo debetur, certè non commorabitur supra, sed infra nos, circa Polum Antarcticum. Et si omnino libet corpus Christi in peculiari ac certo loco huius externi cœli collocare, necessarium est ut collocetur in altero tantùm polorum, siue Arctico siue Antarctico. Quippè quòd hi soli sint in cœlo fixi & immobiles. Aliæ autem cœli partes rapiuntur & conuoluuntur motu firmamenti singulis diebus circa terrã. Nisi fortè sentias, quòd Christus corpore suo singulis diebus semel circumuehatur unà cum cœlo circa terram, & contempletur, quid ubiuis in terris agatur. Et quo tandẽ se recipiet Christus cum corpore, adeoq; cum omnibus sanctis suis, postquam externũ hoc cœlum præterierit, sicut Christus dicit, & igni conflagrauerit, sicut Petrus docet? Non enim Aristoteles permittet, ut se recipiat extra cœlum, quod quippe iuxta sententiam suam fieri non possit, ut corpus sit extra cœlum, etiamsi alios qui sentiat extra cœlum esse entia, quæ optimam mentem ducant. Sed abeant ista. Vera sententia de ascensu Christi in cœlum petenda est, non ex humana ratione, sed ex uerbo Dei. Ascensum illum interpretatur primùm illa in Symbolo Appendix, omnibus Propheticis & Apostolicis scriptis cõfirmata, Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Dextera autem

Dei non

Dei non est aliquis corporalis aut mundanus locus ad quem Christus sese quasi alligarit, sed est omnipotentia & maiestas Dei, quæ cùm non sit in aliquem peculiarem locum sic conclusa, ut non cœlum & terram, adeoq; omnia impleat, necessariò sequitur, quod nec Christus humanitate sua consedit ad dexteram Dei in hoc externo tantum cœlo collocatus. Quod enim dextera Dei, ad quam Christus consedit, impleat cœlum & terram, non tantùm significat regnum Christi & uirtutem eius undiq; patere, sed etiam humanitatem eius, qua ad dexteram Dei consedit, omnibus rebus coràm, idq; cœlesti, non humano modo adesse, & omnia in conspectu suo habere, & præsentem gubernare.

ORO. Multa sanè Pantache iam recẽsuisti, nec ego te loquentem interpellaui. Nunc uerò cùm finem dicendi feciſti, res postulat ut respondeam. Nos utiq; de corpore Christi longè magnificentius cogitamus quàm de carne cæterorum hominum. Sed illud non ita extollimus ut perdamus. Nouimus natum ex uirgine, super aquas ambulasse, ieiunium quadraginta dierum pertulisse, tactu leprosos curasse, mortuos uiuificasse, cæco uisum restituisse, tertio die à mortuis resurrexisse, & ascendisse in cœlum, constitutumq; super omnes angelos & omnes creaturas ad dexteram patris consedisse. Neq; latet nos id habere coniunctam secum deitatem hypostatica unione. An tibi hoc uidetur sentire de Christi corpore perinde atque de corporibus aliorum hominum?

An Christus quoad corpus sit in aliquo loco cœli.

Dicis præterea Christum non sic ascendisse in cœlũ quo ad corpus, ut hæreat aliquo loco externi cœli.

Si locum intelligas generalem, eáq; uoce complectaris omnes beatorum ſedes, ac regiones uiuentium, quæ ſunt extra cœlos aſpectabiles, ego profectò affirmabo corpus Chriſti eſſe aliquo certo loco externi cœli, ſed latiſſimo et ampliſſimo, ubi liberum ſit ei ſtare, ſedere, ambulare, atq; ut libuerit incedere. Quod ſi per certum aliquem locum intelligas angulum ſeu gurguſtiũ, Ita inficias eo corpus Chriſti certo loco cœli contineri & alligari. Tu uerò ſi (ut profiteris) non adimis ei potestatem, quin ſi uelit queat in hoc externo cœlo mobiliter cõmorari, cum ipſum (ut poſtea mihi obiecisti) perpetuo rapiatur ab Oriente in Occidentem. De corpore Chriſti quomodo conſtitues, ſi fortè uelit ibi præſens adeſſe? An circumuoluetur quotidie per totum orbem? Si tua ſententia poteſt fieri, ut ibi hæreat, utique cum cœlo circumuoluetur. Id ſi tibi ut præ te fers abſurdum uideatur, quare illi eam facultatem relinquis liberam? & cur poſtea nobis id tanquam abſurdum obijcis, ut circumuoluatur quotidie ab Oriente in Occidentem? Verùm iſta de re mox fuſius dicam.

De cœlo autem in præſentia ita mihi uidetur diſtinguendum, ut ſi de aſpectabili agatur, non arbitror Chriſti corpus illic habitare, cum dicatur aſcendiſſe ſuper omnes cœlos. At ſi per cœlum illa etiam ſpacia complectamur, & regiones uiuentium quæ ſunt ultra cœlos, uerùm philoſophis incognitas, ibi corpus Chriſti degere, nec non angelos, beatos item ſpiritus, & corpora ſanctorum poſt reſurrectionem omnino ſentio. Ideò tecum affirmo, ut dicere uideris, Imò potius cum Paulo, corpus Chriſti cùm hinc auferretur, ſuper om-

mes cœlos, nimirum aſpectabiles, fuiſſe ſublatũ. Quare illud ſub ambitu cœli aſpectabilis minimè concludo. Neq; cum Ariſtotele ſentio, Extra cœlum, ſi firmamentum, ſeu aſtriferum (ut nonnulli uocant) id intelligat, nullum poſſe corpus exiſtere. Quapropter cùm ſupra uiſibiles cœlos credamus eſſe felices regiones beatorum, ubi ſint Chriſti, Angelorum, felicium item ſpirituum, nec non ſanctorum corporũ, quæ poſtremo tempore à mortuis excitabuntur ſedes, parùm appoſitè (ne dixerim inepte) abs te quæritur, An ea loca in Arctico, an in Antarctico polo ſint conſtituenda, quaſi ultra octauam, nonamúe, aut decimam ſphæram non ſint latiſſima ſpacia, incredibili & ſuauiſſima luce fulgida, quæ neq; Arctico uel Antarctico polo finiantur, & cum diurno motu non rapiantur, ſtabilem fixamq; præbeant ſanctis habitationem. Ibi profectò lucem inacceſſam eſſe par eſt, quam pater inhabitat, qua fruitur Chriſtus, quamq; bonis angelis & ſanctis hominibus Deus pro ſua bonitate aſſignauit. Atq; ſi neceſſe non habet ſupremus orbis agitari omnibus motibus quibus inferiores orbes torquentur, nec eſt neceſſariũ ut illæ ſupremæ regiones uiuentium, motu diurno ab Oriente in Occidentem rapiantur. Manent igitur quietæ ac tranquillæ. Neq; opus eſt Chriſto ut quotidie circumferatur firmamenti reuolutione per totum orbem, ut ſpectet quid ubiq; in terris agatur. Cũ enim Deus etiã ſit, nec tantùm homo, in beata regione quo ad corpus manens, omnia noſtra poteſt facilè cognoſcere. Tu uerò cùm argutus in ijs plus æquo, & quàm te deceat uideri cupias, meras ineptias mihi opponis.

Regiones uiuentium cum firmamento non circumuoluuntur.

Cur oppidò quæris in cœlorum conflagratione, dissolutione, ac interitu, cuius diuinæ scripturæ meminerunt, quò tandem humanitas Christi sit se receptura? Nec animaduertis in locis quos adduxisti diuinas literas, uel de aere uel de aspectabilibus cœlis esse loquutas. Vnde Nazianzenus ex Epistola ad Cledonium apud Theodoretum, luculenter ostendit corpus Christi non esse depositum neque commorari seorsim inter aspectabiles cœlos, dicens: Vbi enim nunc est corpus, nisi cum eo quod id assumpsit? Neque enim (ut mugantur Manichæi) in sole est depositum, ut honoretur propter ignominiam, uel in aerem effusum est & dissolutum, ut uocis natura & odoris fluxus & fulguris minimè consistentis cursus. Vbi est autem etiam palpatum esse post resurrectionem, in qua aliquando incredibitur ab ijs qui pupugerunt? Diuinitas autem per se sub aspectum non cadit. Quid uerò illa conflagratio attinet ad beatas Christi, angelorum & sanctorum sedes? Quibus adde illas cœlorum immutationes, iuxta interpretationem aliquorum Patrum, non ad substantiam & naturam illorum corporum permeaturas, uerùm ad qualitates illorum tantummodò spectare, ut cœli noui tandem euadant, & mundi ac multò perfectiores quàm antea unquam fuerint. At id utut sit, nō inde sequitur cœlestes mansiones, et uerò beatas regiones uiuentium, pereuntibus aspectabilibus cœlis & elementis euersum iri. Quare corpori Christi ut sese inde subducat necesse non erit. Ascendendo enim per cœlos aspectabiles, in illis non est commoratus, sed ultra omnes qui mundanæ successioni seruiunt ascendit.

Aristote-

Aristoteles autem quàm rectè senserit, extra firmamentum non posse ulla corpora degere, defendendum nunquam suscipiam. Non enim Philosophi sunt audiendi, sed scriptura uerbo Dei patefacta. Proinde cùm Apostolus nobis affirmet Christum super omnes cœlos ascendisse, testimonio eius docemur, humanum Christi corpus extra cœlos aspectabiles fuisse receptum. Nec Aristotelis placitum nos adigit, ut Christi humanitatem intra huius cœli ambitum concludamus. Verùm ei (quemadmodum par est) pro sua dignitate qua omnia creata corpora excellit, præstantissimum locum, id est, lucidissimas regiones extra supremum cœlorum aspectabilium orbem assignamus, quæ tam ampliter ac latè se fundunt, ut neque anguli neq; gurgustia uocari possint.

Vis præterea domini ascensum in cœlum per sequentem appendicem exponi, qua subijcitur, Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Et dexteram Dei ais non esse mundanum locum, ad quem se Christus alligarit. At mihi non liquet, dogma de confessu ad dexteram patris appositum esse, ut rationem ascensus domini exponat, cùm potius excellentiam quandam & prærogatiuam corporis assumpti super omnes cœlos exprimere uideatur, demonstreturq; humanitatem Christi non tantùm sublatam super omnes cœlos, uerùm & apud Deum omnipotentem supremam dignitatem & gradum esse assequutam. Nam transcendit omnem angelorum, principatuum & potestatum excellentiam. Et quod attinet ad Deum Optimum Maximum, qui est laudandus in secula, rectè dicta est ad

Sedere ad dexteram patris non explicat ascensionẽ.

eius dexteram ſedere, quemadmodum ſummis orbis monarchis ij aſsidere conſueuerunt, qui cæteris omnibus gratia & dignitate præſtant. Non habet ſanè Deus, qui ſpiritus eſt, corpoream dexteram: ſed elegantiſsimè admodum translatione, hominem Chriſtum dicitur ad ſuam habere dexteram, quòd illum præ omnibus creaturis, excellentia, honore, ac dignitate ornauerit.

Quid ſignificet ſedere ad dexterã Dei.

Demiror autem quomodo corpus Chriſti eſſe ubique inde colligas, quòd omnipotẽtia & Maieſtas Dei, quæ dextera eius uis denotari, ſint ubique. Facito ſignificationem tuam conſtare, quamuis apertè demonſtrari, quid mihi articulus fidei ſignificet. Nonne fieri poteſt, ut licet humanitas Chriſti proprietatibus illis, omnipotentiæ inquam & maieſtati coniungatur, non tamen æque ac illæ pateat? Etenim quotidie nobis occurrit pater quiſpiam proceræ ſtaturæ habens filiolum ſibi ad dexteram conſidentem: nec quicquam prohibet, quin dextera eius multò latius extendatur quàm corpus filioli eius dilatetur? Idcirco is paralogiſmus, quẽ dialectici uocant accidentis, abs te manifeſtiſsimè uſurpatur. Ais quippe, Dextera Dei cum ſit immenſa, eſt ubique: igitur & humanitas Chriſti, quæ ſedet ad dexteram Dei, eſt ubique. Nec porrò eſt neceſſe ut illis rebus coextendamur, quibus hæremus. Nónne rex quiſpiam dum in ſuo throno ſedet, illi hæret, cùm tamen crebrò thronus eius multò ſit & latior & longior illius corpore? Quin & latro hæret affixus cruci, qui tamen ea multò eſt minor. Proinde ſit dextera Dei, hoc eſt (ut uis) eius omnipotentia & maieſtas ubique, permaneat autem Chriſti humanitas, quæ illi coniun-

gitur

gitur ſuis terminis finita. Vt autem rem teneas magis perſpicuè, cogites oportet, dexteram Dei anceps eſſe uocabulum: quia non ſolum potentiam & uim diuinam ſignificat, qua omnia fiunt & gubernantur, ſed etiam ſummã, perfectamq; felicitatẽ. Scribit enim Auguſtinus de Agone Chriſtiano cap. 26. ad hũc modum: Nunquid Deus pater habet latus dexterum aut ſiniſtrum, ſicut corpora? Nec nos hoc de Deo patre ſentimus: nulla enim forma corporis Deus definitur atque concluditur. Sed dextera patris eſt beatitudo perpetua, quæ ſanctis datur, &c. Similiter ſcripſit idem pater ad Conſentium, Epiſt. 222. Vnde etiamſi corpus domini, quod de ſepulchro excitatũ leuabit in cœlum, nonniſi ſpecie humana membriſq; cogitamus, non tamen ita putandũ eſt ſedere ad dexterã patris, ut ei pater ad ſiniſtram ſedere uideatur. In illa quippè beatitudine, quæ omnẽ ſuperat humanum intellectũ, ſola dextera eſt, & eadẽ dextera eiuſdẽ beatitudinis nomẽ eſt, etc. Non itaq; illo uocabulo ſola Dei potentia & maieſtas exprimitur, uerũ etiam ſuprema felicitas & beatitudo. Quocirca etſi omnipotentia & maieſtas diuina ubique ſunt, locus felicitatis ac perfectæ beatitudinis ubique non eſt, cum in hoc mundo non reperiatur. Chriſto autem ſanctis angelis & beatis ſpiritibus affluit in regione uiuentium. Vnde apparet, dexteram Dei iuxta poſteriorem hanc ſignificationem poſſe certa loca ſignificare, ubi felicitas plena & perfecta beatitudo floreat & habeatur. Proinde ſatis intelligis, utramquanque ſignificationem amplectaris, tuam rationem efficaciæ nihil habere.

Dextera Dei anceps uocabulum. Auguſtinus.

PAN. Quæ narras de supremis regionibus amplißimis, fulgentißimis, & iucundißimis, quæ sint Christi, angelorum & sanctorum mansiones, absq; te dicuntur, sed nullo testimonio confirmantur. Imò receptum esse uidetur & ab omnibus affirmatum, ultra octauam sphæram, quam Firmamentum uocant, nihil esse. ORO. Non est Pantache nouum quod ego assero: quandoquidem literæ diuinæ astruunt, Christum ascendisse super omnes cœlos. Ideò si transilijt cœlos istos aspectabiles, necesse est, ut extra eos aliquid existat. Quomodo enim quis ad nihilum se conferat? Patres uerò ita sensisse, non erit difficile ostendere. Damascenus lib. 2. cap. 6. ita cœlum definit. Οὐρανὸς δὲ περιοχὴ ὁρατῶν καὶ ἀοράτων κτισμάτων. ἤτοι γὰρ αὐτὸ τὸ πᾶν συναφὴ τῶν ἀοράτων δυνάμεων, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ περιλήπτικὸν καὶ περιοριστικόν. Id est, Cœlum est complexio, uel (ut ita dixerim) continentia uisibilium creaturarum & inuisibilium. Intra enim ipsum & intellectuales angelorum uirtutes & omnia sensibilia concludutur, & ambitu eius terminantur, &c. Hic tu mihi cum sydera, an spiritus angelorum sub stellato & aspectabili cælo uelis concludere, an illis dare splendentes & sublimes regiones ultra firmamentum, quas recentiores cœlum Empyreum nominarunt? Verùm quid ego de te istud interrogo, cùm ibidem aliquanto post Damascenus explicet apertißimè quid sentiat: Εἰ μὲν οὖν οὐρανὸν τὸν οὐρανὸν ὁ προφήτης οὐρανὸν ἐν ᾧ ἔστιν ἀπόρρητα τὰ ἀγγέλων τάξεις. Ἰδοὺ, φησὶ οὐρανοὶ, καὶ τὸ ἀνώτατον γὰρ ἐπέκεινα ὁ θεὸς οὐρανὸς σωμάτων τῇ ἰδίᾳ χρηστῇ καὶ τῶν ἀόρατα οὐρανὸν πεποίηκε. ὑπογέγραπται γὰρ φησὶ πάντα τὰ ποιήματα τῷ οὐρανῷ, τῷ ἀόρατα λέγων. ὁ δὲ λόγος τῶν

Probatur supra firmamētum esse regiones beatorum.

Damascenus.

τῶν πετεινῶν πορία, καὶ ἐκ οὐρανὸς. ἰδοὺ, τρεῖς οὐρανοὶ, οὓς ὁ θεῖος ἔφη ἀπόστολος. Id est, Est igitur cœlū cœli primum cœlū supra firmamentū collocatum. Ecce duo cœli: nam & firmamentū Deus uocauit cœlū. Consuetudo etiam diuinæ scripturæ est, aerem cœlū uocare, ab eo quod est sursum uideri. Benedicite, enim inquit, omnes uolucres cœli, aerem intelligens. Nam aer est uolucrum iter & non cœlum. Ecce tres cœli, quos diuinus dixit Apostolus, &c. Liquidò iam apparet, hunc scriptorem ultra orbes astriferos alias posuisse regiones illis altiores, quas item cœlum uocauit. Non itaque à me proferuntur inaudita. Lombardus etiam, quem uulgò Magistrum Sententiarum uocant, in 2. lib. Dist. 2. scripsit idem ijs uerbis: Testimonijs quarundam authoritatum euidenter monstratur, angelos ante casum fuisse in cœlo, et inde corruisse quosdam propter superbiam. Alios uerò, qui peccauerunt, illic perstitisse. Nec appellatur hoc cœlum firmamentum, quod secunda die factum est, sed cœlum splendidum, quod dicitur Ἐμπύρεον, id est igneum, à splendore, non à calore, quod statim factum, angelis est repletum, quod est supra firmamentum, &c. Vtq; non existimetur suum figmentum obtrudere, Strabum adducit, qui ait Genesin exponendo: Non uisibile firmamentum hic appellat, sed Empyreum, id est igneum uel intellectuale, quod non ab ardore, sed à splendore dicitur, quod statim factum repletum est angelis, &c. Cùm cœlum illud intellectuale uocat, ne putes ipsum non esse corporeum, sed quia nostris oculis non potest cerni. Proinde cum uideri non possit, cogitari tamen & utcun-

Magister sententiarū.

Strabus.

que intelligi poteſt. Idcirco à Strabo uocatum eſt intel
Beda. lectuale. De hac eadem re Bedam ſcribentem inducit ijs uerbis: Hoc ſuperius cœlum, quod à uolubilitate mundi ſecretum eſt, mox ut creatum fuit, ſanctis angelis impletum eſt, quos in principio cum cœlo & terra conditos dominus teſtatur, dicens Iobo: Vbi eras cùm me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Aſtra matutina & filios Dei eoſdem angelos filios Dei uocat. Cœlum enim, in quo poſita ſunt luminaria, non in principio, ſed ſecunda die factum eſt, etc. Cùm itaque Damaſcenus, Beda & Strabus, necnon Lombardus conſtituant angelorum ſedes ultra firmamentum, num tibi licet dicere me primum ſublimes beatorum ſedes ac regiones fabricatum eſſe?

PAN. At iſtorum uirorum non eſt illuſtris authoritas. Velim ut patres maiorum gentium mihi proferres, qui ultra cœlum ſtellatum affirment haberi ſplendidas & lucidas manſiones beatorum. ORO.

Baſilius. Nec illi deerunt. Baſilius in ſuo Hexaemero, Homil. 2. ita ſcribit, reddens rationem unde tenebræ fuerint ſuper abyſſum. Conſideremus itaque, ait, quod ſiquidem quid erat ante ſenſibilis huius & corruptibilis mundi conſtitutionem, in luce nimirum id erat. Neque enim angelorum dignitas, neque cœleſtis omnis exercitus, neque in ſumma ſi quid eſt nominatum, aut innominatum ex rationabilibus naturis & miniſtrantibus ſpiritibus in tenebris degebant, ſed in luce & omni ſpirituali lætitia ſibijpſis conuenientem ſtatum habebant. Et his nemo contradicit, qui ſaltem ſupercœleſtem lucem in ſanctorum promiſſis expectat, de qua

Salomon

Salomon ait, Lux iustis semper. Et Apostolus: Gratias agentes patri, qui sufficientes nos fecit in portione sortis sanctorum in luce. Si enim damnati mittuntur in tenebras exteriores, nimirum qui laude ac receptione digna operati sunt, in supermundana luce requiem habent. Quandoquidem igitur cœlum iussione Dei factum est, aceruatim circumextentum his quæ intra ipsum sub propria ipsius circumferentia contenta sunt, corpus habens continuum, sufficiens disparare ab externis ea quæ intra ipsum sunt, necessariò concluſum intra ipsum locum obscurum constituit, externo splendore interciso ac intercepto. Tria enim concurrere in umbra oportet, lucem, corpus, & obscurum locum, &c. Hic ne prætereas Basilium statuere sanctos angelos et administratorios spiritus in luce cõmoratos esse ante creatum firmamentũ. Illo deinde condito, lucem in qua degebant angeli, fuisse corpore firmamenti interceptam, & impeditam ne penetraret ad interiora loca, quæ sub eo claudebantur. Vnde contigit ut sponte sua tenebræ, non ex ulla creatione, ibi resultarint ac sederint, quoad Deus nouam lucem astrorum postea in cœlis creatis condiderit. Deinde attendas Basilium dilucide ponere ultra mundum hunc uisibilem lucidas atque splendidas habitationes. Et ne dubites hunc esse genuinum eius sensum, non grauabor adijcere simile quod è uestigio subiecit: Mundanæ itaque tenebræ per umbram cœlestis corporis substiterunt. Considera porrò mihi ab exemplo euidenti quod diximus, in serenitate meridionali tentorium quoddam ex densa & arcta materia tibi ipsi constitu- Simile.

endo, & in tenebris extemporalibus te ipsum inclu-
dendo. Tales etiam illas tenebras fuisse statue, non pri-
mordialiter subsistentes, sed ad alia consequẽtes, &c.
Constituẽdo tentorio in meridionali plaga tria demon-
strat Basilius. Extra tentorium lucem esse magnam.
Quæ postea materia tentorij excludatur, ut intus non
valeat ingredi, præsertim si ea fuerit densa, ut ex cu-
rio quandoq; fieri solet. Ineus ait postremò repente
oriri tenebras. Si hoc pacto se res habet, certè non
prudenter me rogabas quo angulo uel gurgustio eius
corpus Christi concludatur, & an circumuoluatur &
rotetur ab Oriente in Occidentem. Quoúe sit susce-
pturum cùm ista cœlestia corpora, quæ uidemus in
mutationem uel interitum senïet. Nihil horũ Christi
humanitatem sanctos angelos aut beatorum spiritus
attinget, cũ felicissimè super omnes istos cœlos degat,
& inter illorum habitationes ac septem orbes eorum
medium sit firmamentum, seu quod multi existi-
mant orbis quidam astris destitutus. Id autem per-
multi, siue rectè, siue perperam non refert, Crystal-
linum uocant.

Ambrosius A Basilij sententia nil discessit Ambrosius, qui libro
Exaemeron primo cap. 8. sic scribit. Erant tenebræ de
obumbratione cœli, quia omne corpus umbram facit,
qua obumbrat uel finitima, uel inferiora, & ea ma-
xime quæ uel operire, uel includere uidetur. Inclusit
autem cœli polus, quia cœlum sicut camera extendi-
tur, quemadmodum supra demonstrauimus. Non ergo
principalis erat tenebrosa substantia, sed quasi umbra
sequuta est mundi corpus caligo tenebrarum. Itaq; in

mundo

mento diuinæ præceptionis mundus assurgens intra se
inclusit umbram. Vt si quis in campo medio, quem Sol
meridianus illuminet, locum aliquem repẽte obsepiat,
& densis ramorum frondibus tegat, nonne quo splen-
didior foris species loci eius effulgeat, hoc horremi de
super scena, gurgustium eius intus obscurius sit? Aut
unde antrum clausum undiq; huiusmodi locum uoca-
runt, nisi quod atro inhorrescat situ atq; obfusione
tenebrarum? Istæ ergò tenebræ super aquarũ abyssos
erant, &c. Docet hic quoq; pater, extra firmamentũ
lucem esse, quæ corpore firmamenti fuerit intercluſa,
& ideò tenebras in abyssо resedisse, quæ postea sunt
depulsæ, cum astrorum noua lux Dei iussu in orbibus
cœlestibus effulsit, Illam itaq; lucẽ quæ splendet extra
mundanorum orbium loca, nos humanitatis Christi
nec non angelorum, & seruandorum hominum sedes,
atq; mansiones esse dicimus. Quamobrem ut liquere
tibi potest, spacia, & quidem latißima regioni felici-
ter uiuentium nequaquam desunt. PAN. Satis
intelligo quid apud uos constitueritis, nempe ultra fir
mamentum & aspectabiles cœlos, mansiones felicißi-
mas esse dispositas, ad quas Christus ascendens ultra
omnes cœlos sit profectus, & eò excipienda etiã olim
fore corpora sanctorum cum extremo die à mortuis
fuerint excitata. ORO. Id profectò & sentimus
& docemus. Neq; Christi, aut sanctorum cœlum pati-
mur nobis obtrudi, quod ubiq; sit, neq; reuera sursum
aut sublime, sed ut uos fabulamini etiam per omnes
huius inferioris mundi partes locum habeat. Quod
figmentum ut sit alienum à ueterum patrum doctrina

Augustinus

rursus ostendere nõ grauabor. Augustinus de ciuitate Dei libro 22. cap. 4. ita scripsit aduersus eos qui negabant humana corpora in cœlo esse posse cum à mortuis resurrexerint. A Cicerone 3. de Republica commemoratum est, Herculem & Romulum ex hominibus Deos esse factos, quorum non corpora sunt in cœlum elata, neq; enim natura pateretur, ut id quod esset de terra, nisi in terra maneret, &c. Hinc est magnatio sapientium, quorum Deus nouit cogitationes quoniam uanæ sunt, &c. Deinde argumentum subijcit, quo probet corpora beatorum in sublimi cœlo rerum collocanda esse, quòd animæ cùm sint spiritus corporibus terrenis uolente Deo alligentur. Idcoq; nil posse impedire quin uolente Deo non possit terrenum corpus in cœleste corpus attolli, cùm animus omni, ac per hoc etiã cœlesti corpore præstantior, terreno corpori potuerit alligari, &c. Et mox: Cur enim nõ uehementius admiramur incorporeos animos cœlesti corpori potiores terrenis alligari corporibus, quàm corpora licet terrena, sedibus quamuis cœlestibus tamen corporeis sublimari, nisi quia hoc uidere consueuimus, et hoc sumus, illud uerò nec adhuc aliquando uidimus? Nam profectò sobria ratione cõsulta, mirabilioris esse diuini operis reperitur, incorporalibus corpora quodammodo attexere, quàm licet diuersa, quia illa cœlestia ista terrestria, tamen corpora & corporea pulari, &c. PAN. Quorsum ista? ORO. Vt intelligas Augustinum non credidisse cœlum beatorũ, in quo etiam Christus est quo ad humanitatem, quid nihil aliud sit quàm omnipotentia, & Maiestas diuina

&

& ubique diffusum: alioquin sapientibus Ethnicis nullo negotio potuisset respondere, se pro cœlo non intelligere sublimes illas regiones quæ uulgo cœlum dicuntur, sed statum excellentem, diuinum, supermundanum & beatum. Hæc non dixit Augustinus: Verùm sedes beatorum & corporeas fecit, & corpora, & nostra corpora eò contendit olim esse attollenda. Et eadem affirmat, idem argumentum tractando, in eodem lib. cap. 21. cuius uerba licet breuitati studeam, quo mens eius dilucidius teneatur adscribam. Omitto dicere, quod iam in 13. lib. dixi, quàm multa grauia terrena sint corpora, sicut plumbum & formam tamen ab artifice accipiant, qua natare ualeant super aquam. Et ut accipiat qualitatem corpus humanum, qua ferri in cœlum & esse posit in cœlo omnipotenti artifici contradicitur? &c. Et mox, de anima loquens, ait: In terreno ergo quid facit corpore? In hac mole quid agit subtilior omnibus? In hoc pondere quid agit leuior omnibus? In hac tarditate quid agit celerior omnibus? Itáne per huius tam excellentis naturæ meritum non poterit effici, ut corpus eius leuetur in cœlum? Et cùm ualeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorsum, aliquo modo & animæ leuare sursum terrena corpora non ualebunt? &c. Et mox agens de Vestali Virgine subijcit: Cùm periclitaretur falsa suspicione de stupro, cribrum impleuisse aqua de Tyberi, & ad suos iudices nulla eius parte stillante portasse. Quis aquæ pondus super cribrum tenuit? Quis tot cauernis patentibus nihil inde in terram cadere permisit? Responsuri

Augustinus

sunt, Aliquis Deus aut aliquis dæmõ. Si Deus, nũquid maior est Deo, qui fecit hunc mundum? Si dæmon, nunquid potentior est angelo, qui Deo seruit, à quo factus est mundus? Si ergo Deus minor, uel angelus uel dæmon potuit pondus humidi elementi sic suspendere, ut aquarum uideatur mutata fuisse natura, itáne Deus omnipotens, qui ipsa creauit elementa, terreno corpori graue pondus auferre non poterit, ut in eodem elemento habitet uiuificatum corpus, in quo uolunt uiuificans spiritus? &c. Et mox: Sicut ergo nullam partem uel esse uel futuram esse terræ particulam in cœlo, ita nullam particulam uidere debuimus ignis in terra. Nunc uerò non solum in terris, uerũetiam sub terris ita est, ut eum eructent uertices montium, &c. Et ad finem capitis: Cur ergò nolunt ut credamus naturam corporum terrenorum aliquando incorruptibilem factam, cœlo conuenientem futuram, sicut nunc ignis corruptibilis his conuenit terris? Nihil igitur differunt ex ponderibus atq; ordine elementorum, nisi omnipotenti Deo quo munus faciat corpora nostra talia, ut etiam in cœlo possint habitare, præscribant. Hæc Augustinus. Quæ omnia frustra disputasset, si cœlum beatorum credidisset esse ubiq;, quemadmodum uos ponitis. At quia inter Christianos receptum erat, in sublimi esse, atq; altissima regione, quod oppugnabatur ab Ethnicis, qui contendebant humana corpora terrena & ponderosa non posse illuc efferri, & in eius generis habitationibus degere. Ideò uir Dei Catholicum et orthodoxum dogma ijs rationibus defendit. Huc etiam spectãt, quæ idẽ pater 13. lib. cap. 18. de

de ista eadem re scribit, quæ prolixitatem sermonis euitans, nunc præteribo. Tu ea per teipsum percurrito, cùm uacabit. PAN. Sententiarum Patrum satis habeo. ORO. Quãdo ita uidetur, desistam à recensendis ueterũ dictis, & ad literas diuinas, unde cœpi, me recipiam.

Quando Apostolus ad Ephes. cap. 4. scribit: Cæterum illud ascendit, quid est, nisi quod etiam descenderat prius in infimas partes terræ? Qui descendit, idem ille est, qui etiam ascendit super omnes cœlos, &c. Ἀνάβασις Apostolus ibi posuit inter ascẽdere ac descendere, nec non inter cœlũ et infimas terræ partes. Quare, cùm accipiatur propriè, quod ait, de partibus terræ inferioribus, in quibus Christus nostræ salutis causa uersatus est, quid est cur cœlos itẽ non accipiamus propriè, in quibus modò Christus quoad corpus contineatur usq; ad tempus restitutionis omnium, ut Petrus in Actis Apostolicis testatus est? Proinde non seruatis iustam ἀναλογίαν in Pauli doctrina, cùm terram cogamini ueram & propriam intelligere, ac illi postea cœlum opponatis, non quidem uerum, sed μεταφορικὸν, quod nihil aliud sit, quàm gloria, maiestas, dignitas, & potentia Dei. Quæ cùm ubiq; sint, cœlum etiam à nobis excogitatum esse ubiq; contenditis. Et idcircò non recipiendũ censeo, quod abs te dicitur, Corpus Christi non esse assumptum uisibiliter super omnes cœlos, ut ibi maneat: quandoquidem ibi degit, & mansurum est usq; ad extremum diem. Nam ea lege cœlum accepit, uel ab eo acceptum est, quemadmodum Petrus dixit. PAN. Non ita sunt hæc accipienda: quia non signi

Locus Pauli ad Ephes.

ficatur Christum hærere in externo cœlo, sed esse sub latum ab oculis discipulorum, & habere non tantùm cœleste, sed etiam terrestre imperium. ORO. Nescio quid loquaris de cœlo externo. Vtiq; astriferum, et quod ipsum uincit sublimitate, atq; corporeum est, si ad nos referatur, non intimum, sed externum uocari debet: quãdoquidem extra nos est positum. Christum autem quoad hominem, in inferiori cœlo, id est, in firmamento non collocamus, neq; Manichæis assentimur, sed (ut iam dictum est) in supremis regionibus beatorum agere affirmamus. Nã cùm Paulus loco superius allato propriè terram intelligat, nos etiam cœlum uerum accipimus, ut significetur certum & uerum locum in quo plena & solida felicitas sanctis exhibetur. Nec te satis mirari possum cum tuis, qui cùm sis alioqui Troporum acerrimi hostes, nunc in tam multos ultrò uos præcipitetis, ut eis nullum modum faciatis.

PAN. Non uideris mihi consyderasse, quibus uerbis illis ad Ephes. ilicò subijciatur, nempe, Vt impleret omnia. ORO. De illa sententia superius nonnihil tecum egi, sumq; testatus me nolle multa dicere, cùm uir doctissimus Heinrychus Bullingerus in suo libello De mansionibus cœlestibus & satis & erudituissimè scripserit. PAN. Memini. Sed quod ille ait Apostoli uerba posse intelligi de Propheticis uaticinijs & diuinis oraculis, quæ Christus ascendens in cœlum compleuerit, minimè uerum esse indico. Nam Paulus ibi non agebat de illius generis impletione, sed de impletione inferorum & superorum, hoc est eius

&

& terræ, & omnium rerum. Paulò enim antè dixerat: Qui ascendit, quid est, nisi qui & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse etiam est qui ascendit super omnes cœlos. Hic audis inferiores partes terræ, audis supremos cœlos, uides utrosque descensus & ascensus: fieri ergò non potest, ut uerbum Implendi omnia, hoc loco referas ad uaticinia Prophetica, sed ad ea quæ proxima sunt, infimas uidelicet ac supremas mundi partes, ut significetur Christum accepisse Maiestatem Dei patris sui, & dominationem omnium tam infimarum, quàm supremarum rerum, & eas coràm præsentem non deitate tantùm, sed & humanitate gubernare et cõseruare. ORO. Si te audiuisset optimus uir Bullingerus, respondisset utiq; ad tuam istam cauillationem. Sed cùm librũ ederet, non adhuc talia de te audiuerat. Et nihilominus tertiam in suo libro adiecit interpretationem de implendis fidelibus charismatis & donis paracleti spiritus. Veruntamen illam de complemento uaticiniorum & promißionum certißimum est uel tua ipsius conscientia & à ueteribus & à recentioribus esse receptam. Nec immeritò, cùm sit plana & admodum uerisimilis interpretatio: quandoquidem ipsemet Apostolus ibe uaticinium seu promißionem de Christo explicat, cõmemorans datam quibusque fidelibus gratiam iuxta mensuram donationis Christi. Quod probat uerbi Dei testimonio, scribens: Quapropter dicit, Cùm ascendisset in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Hoc euidenti oraculo declarat quis nam is fuerit qui ascenderit, deinde cur ascende-

rit causam subiecit, nempe ut omnia impleret. In hac tam plana & aperta interpretatione quid abs te desyderetur, prorsus ignoro, quia in ea iustus dicendi ordo conseruatur, neque à propositæ rei tractatione disceditur.

Quod uerò abs te additur, Christũ accepisse maiestatem Dei patris sui, Annuo, modò interponatur exceptio sæpius à me demonstrata, quantum capax est natura humana, quæ citra cõtrouersiam immensa reddi non potest, cùm sit creatura. Præterea uis Christum non tantum deitate præsentem, uerumetiam humanitate gubernare omnia & conseruare.

Ad rerum gubernationem non est opus præsentia humanitatis. Simile.

Sed te percontari libet, ad rerum omnium gubernationem & conseruationem quid opus est humanitatis præsentia? Absens enim & in cœlis residens quo ad corpus, eam facilè potest exequi. Nam si cœlũ hoc aspectabile, quod est corpus & à terra longissimè distat, eius fertilitatem & annuos prouentus influentia sua conseruat ac regit, cur id non poterit Christi humanitas erga omnia creata, licet ab eis dissita sit magno locorum spacio? Quot præterea sunt reges in orbe, qui suo consilio, potentia & authoritate multas prouincias à se plurimo loco distantes gubernant & administrãt? Cur id Christo, quatenus hominis filius est, & iam clarificatus, non tribuatur?

PAN. Ad Hebr. 4. legimus, Pontificem magnum nos habere, qui cœlos penetrauit. Nõ dicit, qui hæsit in aliquo loco cœli, sed per cœlos penetrauit. Et in eadem epist. cap. 7. dicitur: Sublimior cœlis factus. Quod si sublimior est cœlis, quomodo intra cœlum in

aliquo

aliquo loco continetur, ut non alia quoque impleat?

ORO. Nolim tecum iam actum agere. Nam quæ adfers ex Epistola Pauli ad Hebræos forte meam sententiam læderent, si Christum in cœlis uisibilibus quo ad humanitatem affigerem. Sed cùm illum agere pronuncië ultra istos cœlos in regione uiuentiũ, quæ splendida est, immensa et plena beatitudinis, cum Apostolo prorsus consentio, illũ nostrũ Pontificẽ & cœlos penetrasse & cœlis factum esse multò sublimiorem.

PAN. Velim Orothetes, ut diligentius expenderes eiusdem Pauli uerba, quibus ad Ephes. cap. 1. significanter admodum expressit, in quantam sublimitatem Christus humanitate sua euaserit. Deus constituit Iesum, inquit, ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, potestatem & uirtutem ac dominationem, & omne nomen quod nominatur, &c. Idem etiã egit ad Phil. 2. scribens, Deus exaltauit illũ, & dedit ei nomen super omne nomẽ, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferorum, &c. Hæc dicta efferunt Christum cum sua humanitate non super omnes tantùm externos cœlos, uerumetiam super omnem creaturam, siue cœlestem, siue terrestrem. ORO. Quæ adducis ex Apostolicis literis, habeo compertissima, & nobis omnibus Christi membris plurimum gratulor, quod habeamus caput gloria & honore coronatum, & prælatum cũ dignitate tum etiam maiestate omnibus creaturis. Quocirca tibi laborandum non erat in eius dignitate ac excellentia commendanda.

PAN. Non dubito etiam nos humanitati Chri-

sti deferre, sed non quantum oportet. ORO. Quid ita? PAN. Quæso te, considerastine unquam Isaiæ Prophetæ uerba in cap. 40. quibus Dei maiestatem expreßit? Metitur aquas pugillo, inquit, & ponderat cœlos palmo. Apprehendit tribus digitis molem terræ, & librat pondere montes, & colles statera. Salomon item inquit 2. Paral. 2. cap. Cœlum, & cœli cœlorũ te capere nõ possunt. Proinde cùm intraverit dominus humanitate sua in gloriam patris sui, & acceperit omnem eius maiestatem, atque suo ascensu eò sit euectus, tantum abest ut ascensus eius in cœlum probet eum in loco aliquo corporalis huius cœli hærere, ut potius testificetur eum super omnes cœlos, adeoq; super omnia tam infera quàm supera, tam terrena quàm cœlestia exaltatum. ORO. Magna & omnibus modis admiranda sunt quæ Prophetæ ac uniuersa scriptura de gloria, maiestate atque potentia Dei memorat. Nec dubito Filium Dei etiam quo ad humanitatem esse paternorum bonorum hæredem atque participem, saluis nihilominus finibus & terminis humanæ naturæ, ut ne dißipetur. Nam ita Christi diuinitas affirmãda est, ne humanitas eius destruatur.

Atq; ut preßius agamus, cùm dicis, hominem Christum omnem patris maiestatem accepisse, id non arbitror in uniuersum dandum esse. Non enim fieri potest, ut immensa & tota Dei maiestas finito Christi corpusculo terminetur: sed necesse est ut multò sit eo amplior. Nisi totam uel omnem maiestatem sic acceperis, ut ab initio nostri colloquij exposui. Deinde imprudens tecum pugnas, qui nunc dicas, Christi humanitatem

nitatẽ suo ascensu euectam ad maiestatem & gloriam Dei patris, cùm eã sit consecuta, ut ipse quoq; superius testabaris à primo cum incarnatione fuit à Verbo susceptа, nisi forte intelligas in ascensu eam fuisse magis declaratam. Quod uerò postremò conficis, testificatum esse ascensione Christi, eum super omnes cœlos, super omnia tam infera quàm supera, tam terrena quàm cœlestia exaltatum esse, unà tecum & approbo, & confiteor: quandoquidem constanter credo, nullam creaturam esse Christo Iesu, qua homo est, digniorem (uel ut rectius dicam) ei parem, tametsi nolim eum concedere esse ubique.

PAN. Video te à sententia non posse deduci: ego tamen institutum meum prosequar. Manifestum est, Christum quadragesimo à resurrectione die in cœlum ascendisse, & in conspectu discipulorum sublatum esse uisibiliter, ut sederet ad dexteram patris sui & impleret omnia. Numquid autem aliàs non ascendit inuisibiliter, an iam primum ascendit in cœlum & consedit ad dexteram patris, cùm sublatus est in monte Oliueti ab oculis discipulorum? Tum quidem primùm ascendebat uisibiliter, sed ascenderat etiam iam antea, & consederat ad dexteram Dei inuisibiliter in sua à mortuis resurrectione. Est enim ascensus uisibilis, qui factus est in monte Oliueti. Est & ascensus inuisibilis, qui est factus in resurrectione. Apud Matth. ait Christus, Non bibam admodò de hoc genimine uitis usque in diem illum, cùm illud bibam uobiscum nouum in regno patris mei. Negari autem non potest, quin statim post resurrectionem comederit & bibe-

rit cum discipulis. Manifestum igitur est, quod fuerit tum in regno patris sui, ad quod in resurrectione inuisibiliter ascenderat. Et in Luca inquit: Nónne oportuit hæc pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Absoluerat autem iam, postquam à mortuis resurrexisset, passionem suam. Reliquum igitur est, quod iam intrasset in gloriam & maiestatem suam, ac sederet ad dexteram Dei. ORO. Rursus impingis, ac tibijpsi uehementer aduersaris. Nam dicis Christum quoad humanitatem uisibiliter in cœlum sublatum esse, ut impleret omnia. Verùm si iam ante (ut statuis) implebat omnia ab hypostaticam unitatem cum diuinitate, quam à sua incarnatione semper habuit, frustrà uisibiliter ascendebat, ut id consequeretur. Deinde quomodo aliàs ascendit inuisibiliter, si semper omnia impleuit? Qui omnia implet, quo tandem ascendet aut se commouebit? Mirandum profectò est àbs te inuisibilem ascensum decerni, cùm iuxta tuam sententiam Christi corpus inuisibiliter omnia impleat. Imprudens dicis ἀσύνετε. Nos uerò tum primùm ascendisse in cœlos quoad humanitatẽ affirmamus, cũ ab oculis Apostolorũ sublatus est. Quoad humanitatem dixi: quia iuxta naturã diuinam neq; ascendit, neq; descendit, cùm sua immensitate omnia impleat.

De ascensu uisibili & inuisibili.

Quæ uerò tu fingis de ascensu uisibili & inuisibili, nouum ac peregrinum est dogma, & in Ecclesia Dei, quod ego sciam, inauditum. Sed ita fieri oportet. Non figmenta ubiquitatis consistere non possunt, nisi & nouis & magis absurdis fictionibus fulciantur.

Adhæc eò te proripis, ut dicas, istum ascensum inuisibi-

uisibilem à resurrectione factum, quasi antea ob unionem hypostaticam iuxta tuum decretū Christus quoad corpus non fuerit ubique: quod tamen superius & semel & iterum affirmasti. Nec te quicquam iuuant illa testimonia ex Matthæo & Luca decerpta. Bibit quidē Christus cū discipulis, cùm resurrexisset à mortuis, & bibit in regno patris sui: quia iam immortalitatem acceperat, & gloria incredibili erat illustratus. At non dicit se bibiturum de genimine uitis cū Apostolis in cœlo, quòd nondum ascenderat, sed ait uobiscum. Vnde cùm illi essent in terris, ibi cum eis, nō autem in cœlo se prædixit bibiturum. At quantum uideo, tu regnum Christi & gloriam eius uel immortalitatem idem esse putas, atque in cœlis agere, ideoq; uis inde conficere, Christum quoad humanitatem fuisse in cœlis, etiam tum, cùm in terris unà bibebat cum Apostolis. In hoc falleris: quia Christus regnum patris, nec non suam immortalitatem & gloriam habere potuit, quamuis post resurrectionem adhuc in terris ageret, nec ad cœlum sublatus esset uisibiliter, uel (ut ipse fingis) inuisibiliter, quemadmodum regnum suum & gloriam habebit, cùm in mundo rursus apparebit ut homines iudicet. Non enim in descensu gloriam & regnū in cœlis deponet. Quid obstabat, quin gloriam suam & regnū patris haberet, quando post resurrectionem in terris unà cum Apostolis uersabatur? Profectò id obtinuit statim à resurrectione, ut corpus mortale atque corruptiuum in gloriam, incorruptionem, & immortalitatem fuerit immutatum, quod ad regnum patris & Christi gloriam pertinebat. Ascendit

poſteà, penetrans cœlos aſpectabiles, et ſeſe collocans in regione uiuentium, ubi manebit, quemadmodum Petrus dixit, uſq; ad tempora reſtitutionis omnium. Si diuinæ literæ aſſererent illum à reſurrectione ſtatim cepiſſe cœlum, uel eò aſcendiſſe, tibi fortaſsis aures adhiberem. At neq; Matthæus neq; Lucas id teſtantur. Quare fruſtra illorũ dicta uideris citaſſe. Prius uiq; Chriſtum pati oportuit, quàm gloriam, reſurrectionem & immortalitatem acciperet, & antea paſſus eſt, quàm ſpectantibus Apoſtolis in cœlum eleuaretur. Hæc plane ſuo geſta ſunt ordine. Paſſionem præcedere neceſſe fuit. Deinde tempore ſuo reſurrectionem, & aſcenſum ad cœlos conſequi. Tu uerò an dubitas patris regnum etiam in terris eſſe? Ille porrò ubiq; regnat, quamuis cœlũ, de quo nunc agimus, non ſit ubiq;. Chriſtus itaq; à reſurrectione habuit regnum patris, & illud itidem poſtea in cœlis habuit quando eò aſcendit, non tamen ſimul eodemq; tempore fuit in cœlo & in terra.

Locus Hieronymi.

PAN. Ego uerò nunc tibi referam, quid hac de re 3. Tomo Ad Marcellam Hieronymus reſcripſerit. Extremus inquit ſchedula continebat, utrum poſt reſurrectionem quadraginta diebus Dominus cum diſcipulis conuerſatus ſit, & nunquam alibi fuerit, & ſolummodo ad cœlũ aſcenderit atq; deſcenderit, & nihilominus Apoſtolis ſuam præſentiam non negarit. Si Dominum Dei filium conſyderes, de quo ſermo eſt, & illum eſſe qui loquitur, Nonne cœlum ego repleo, dicit Dominus? Et de quo alius propheta teſtatur, Cœlum mihi thronus & terra ſcabellum pedum meorum. Et

uersus alibi, Qui tenet cœlum palmo, & terram pugillo. De quo Dauid, Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. Et si habitauero in extremis maris: etenim ibi manus tua deducet me, et continebit me dextera tua. Profectò non ambiges etiam ante resurrectionem sic in dominico corpore habitasse Deum Verbum, ut in patre esset, & cœli circulũ concluderet, atq; in omnibus infusus esset & circumfusus, id est ut cuncta penetraret interior, & contineret exterior. Stultum est igitur illius potentiam unius corpusculi paruitate finiri, quem non capit cœlum: & tamen qui ubiq; erat, etiam in filio hominis totus erat. Diuina quippe natura, & Dei sermo in partes secari non potest, nec locis diuidi: sed cũ ubiq; sit, totus ubiq; est. Erat igitur uno eodemq; tempore & cum Apostolis quadraginta diebus, & cum angelis, & in patre, et in extremis maris finibus, in omnibus locis uersabatur, cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Andrea in Achaia, cum singulis Apostolis & apostolicis uiris, in singulis cunctisq; regionibus. Quod autem dicitur quosdam deserere, uel non deserere, non naturæ illius terminus ponitur, sed eorum merita describuntur, apud quos esse uel non esse dedignatur, &c. Hactenus Hieronymus. Expendendum uerò tibi est, quæstionem hic nõ fuisse de præsentia diuinitatis Christi, quam Marcella procul dubio non ignorabat, sed de præsentia humanitatis eius, An uidelicet Christus post resurrectionem usq; ad diem ascensionis semper uisibiliter Apostolis cum humanitate sua sit conuersatus,

Verbi potentia non finitur unius corpusculi paruitate, dicit Hieronymus.

an interea latenter in cœlum ascenderit, & descen-
rit. Hic si Hieronymus cum de Christi præsentia
omnibus locis et regionibus concionatur, præsentiam
diuinitatis eius tantùm intelligit, insignis sit impos-
necesse est, quòd interrogatus de Beta respondeat
Cucurbita. Muliercula non interrogauerat de præsen-
tia diuinitatis, sed humanitatis. ORO. Quan-
ex uerbis Hieronymi colligitur, Marcella quæstionem
proposuit de Domino Iesu Christo, qui duas in se na-
ras complectitur, diuinam scilicet & humanam, cui
autem interrogando respexisse ad humanitatẽ, quem-
admodum tibi, sic & mihi fit uerisimile. At Hiero-
mus animaduertens quod illa suspicabatur, de latenti
ascensu in cœlos & descensu quo ad naturam huma-
nam, concedi non posse, ut scilicet ea simul eodem
tempore in terra & in cœlis fuerit: Ad alteram par-
tem, nempe ad naturam diuinam stylum uertit, & lo-
lam, personamq; filij Dei prædicat esse ubiq;. Ad
uerò quod rogabatur de latenti ascensu nihil respon-
det: quia è scripturis clancularis & latens ascensus
cœlum quoad naturã humanam cõfirmari nullo modo
poterat, nec etiam diuinitati, quæ infinita est, con-
niebat. Est quippe sua immensitate ubiq;: neq; de-
ascendere neq; descendere ualet. Quòd autem sum
responsum ad naturam diuinam accommodet, ex uer-
bis, quibus utitur, argumenta non leuia suggerun-
Primùm quippe illam admonet ut cogitet Dominu
esse Dei filium, id est utranq; naturam in se habere
adijcitq; Deum Verbum in corpore dominico hab-
tasse. Ac uolens ipsius Verbi naturam & potentia-
dele

declarare immensam, illam inquit non esse unius corpusculi paruitate finiendam. Quid hæc sibi uolunt? An si loqueretur de humanitate, diceret illius potentiam non esse finiendam eius corpusculi paruitate? Gregorius Nyssenus hoc dicit non esse credendum in Orat. Catechetica scribens: Et quis hoc dicit quod carnis circumscriptione tanquam uase aliquo infinitæ deitatis circumscripta est? &c. Et mox: Quid prohibet quandam diuinæ naturæ unionem et appropinquationem ad humanam naturam cognoscere, & diuinitatis tamen intelligentiam, etiam in ea appropinquatione cõseruare extra omnem circumscriptionem credentes esse diuinitatem, etiamsi sit in hominibus? &c. Hæc indicant Dei naturam esse incircumscriptam, humanitatis autem circumscriptam. Quare necesse est, ut una in immensum latius pateat quàm altera. Profectò ibi Hieronymus agebat de ipso Verbo Dei: quod cum latius pateat humano corpore in immẽsum, ubiq; reuera est: humanum uerò corpus finibus suis circumscribitur. Nec refert quod scribat de filio Dei, secunda inquã trinitatis persona, quod in hominis filio tota fuerit: quia id procul dubio sic est accipiẽdum, ut iam ab initio nostri sermonis, (quemadmodum te meminisse arbitror) fuit expositum. Quod etiam mox ipse Hieronymus declarat. Nam inquit naturam diuinam, & Dei sermonem in partes non secari, nec locis diuidi. Non potuit is pater apertioribus uerbis ostendere se de natura diuina loqui, non de humana. Λόγος quippe, ac sermonis Dei apertißimè fecit mentionem, & ab initio dixerat, Dei Verbum & filiũ Dei eum esse, de quo proponebatur quæstio.

Proinde quod postea sequitur, dominum eodem tempore uel in multis locis, uel ubique fuisse, dubium non est ad naturam diuinam spectare. Tu uerò id respicis, Marcellam sciuisse deitatis præsentiam ubique confitendam, & idcirco de illa non interrogasse. Verùm hoc uel parũ uel nihil ad rem facit, quia generaliter de Iesu Christo interrogauit. Hieronymus autem ostendit iuxta quam naturam sit ubiq;. Nec, ut uerba eius indicant, concedit ullum clancularium auctoratum ascensum. Dat uerò id tantùm, naturam diuinam esse ubique, ac omnia implere. Quod uerbis Prophetarum luculenter confirmat, quorum dicta satis constat naturam Christi humanam minimè respicere. Marcella, inquis, hoc sciebat. Fateor, sed hoc non obstat quo minus Hieronymus in eo quod sciebat illam confirmare debuerit. Et cùm suam orationem dessurrit ad naturam diuinam, & humanitatem non attigerit, satis manifestè declarauit, se nolle tuam ubiquitatem ad naturam humanam extendere. Neque propterea tanquam impostor flagellandus est, cùm interrogationi propositæ aptè responderit, Nempe Dominum esse quo ad naturam diuinam in multis locis, & ubique: Latentem uerò ascensionem, quam fortasse Marcella suspicabatur humanitati attribuendam (ut ex uerbis eius habetur) minime approbauit. Quam etiam si dedisset, nil tibi patrocinaretur, qui humanitatem Christi ob hypostaticam unionem esse ubique fateris. Vnde si uobis ipsis cõstare uelitis, nec; latenter, nec; palàm ei licuit uel ascẽdere uel descẽdere. Potuit itaq; Marcella ex respõso Hieronymi cognoscere, illum

naturæ humanæ ubiquitatẽ noluisse dare, cùm de Deo Verbo, seu natura diuina tantùm responderit.

PAN. Adducerem etiam locum Ambrosij nisi te uererer idem responsurũ. ORO. Per me tibi licet. Verùm si testimonia quæ habes etiam tibi suspecta sunt, ipse considera, quam causam tuẽdam susceperis. Attamen proferas oro quid tandem habeas ex Ambrosio. PAN. Super Lucam, dum illud Christi dictum interpretatur, Quodcunq; supererogaueris, tibi reddam. Spondet ergo, inquit, se rediturum. Quando reuerteris domine, nisi in die iudicij? Nam licet ubique sis semper, & stans in medio nostrum non cernaris à nobis, erit tamen tempus quo uniuersa caro te aspiciat reuertentem. Hæc Ambrosius, qui utique omnino loquitur de tota persona Christi, quia humanitas eius in unitatem personæ assumpta, non se tam libenter patitur à sua diuinitate auelli, quàm facilè à uobis dicitur. ORO. Non est dictis conterendum tempus, ut ipse præuidisti. Nos istam præsentiam ad naturam diuinam referimus. Quod non soli, uerùm unà cum uetustioribus patribus facimus, & personam ipsam Christi, quæ diuina est, fatemur esse ubique, à qua tamen humanitas propterea non auellitur quod suo certo loco finiatur. Ambrosij locus.

Eustathius Antiochænus Episcopus apud Theodoretum ex Orat. habita super illo, Dominus creauit me initium uiarum suarum, ait: Homo enim qui erat mortuus, tertio quidem die resurgit. Maria aut, quæ propter animi fortitudinem ad sancta membra tangenda magna alacritate ferebatur, repellens, dixit, Ne me

Proinde quod postea sequitur, dominum eodem tempore uel in multis locis, uel ubique fuisse, dubium non est ad naturam diuinam spectare. Tu uerò id respicis, Marcellam sciuisse deitatis præsentiam ubique confitendam, & idcirco de illa non interrogasse. Verùm hoc uel parũ uel nihil ad rem facit, quia generaliter de Iesu Christo interrogauit. Hieronymus autem ostendit iuxta quam naturam sit ubiq;. Nec, ut uerba eius indicant, concedit ullum clancularium auctoratum ascensum. Dat uerò id tantùm, naturam diuinam esse ubique, ac omnia implere. Quod uerbis Prophetarum luculenter confirmat, quorum dicta satis constat naturam Christi humanam minimè respicere. Marcella, inquis, hoc sciebat. Fateor, sed hoc non obstat quo minus Hieronymus in eo quod sciebat illam confirmare debuerit. Et cùm suam orationem dedixerit ad naturam diuinam, & humanitatem non attigerit, satis manifestè declarauit, se nolle tuam ubiquitatem ad naturam humanam extendere. Neque propterea tanquam impostor flagellandus est, cùm interrogationi propositæ aptè responderit, Nempe Dominum esse quo ad naturam diuinam in multis locis, & ubique: Latentem uerò ascensionem, quam fortasse Marcella suspicabatur humanitati attribuendam (ut ex uerbis eius habetur) minime approbauit. Quam etiam si dedisset, nil tibi patrocinaretur, qui humanitatem Christi ob hypostaticam unionem esse ubique fueris. Vnde si uobis ipsis cõstare uelitis, neq; latentem, neq; palàm ei licuit uel ascẽdere uel descẽdere. Potuit itaq; Marcella ex respõso Hieronymi cognoscere, illum

naturæ humanæ ubiquitatẽ noluisse dare, cùm de Deo Verbo, seu natura diuina tantùm responderit.

PAN. Adducerem etiam locum Ambrosij nisi te uererer idem responsurũ. ORO. Per me tibi licet. Verùm si testimonia quæ habes etiam tibi suspecta sunt, ipse considera, quam causam tuẽdam susceperis. Attamen proferas oro quid tandem habeas ex Ambrosio. PAN. Super Lucam, dum illud Christi dictum interpretatur, Quodcunq; supererogaueris, tibi reddam. Spondet ergo, inquit, se rediturum. Quando reuerteris domine, nisi in die iudicij? Nam licet ubique sis semper, & stans in medio nostrum non cernaris à nobis, erit tamen tempus quo uniuersa caro te aspiciat reuertentem. Hæc Ambrosius, qui utique omnino loquitur de tota persona Christi, quia humanitas eius in unitatem personæ assumpta, non se tam libenter patitur à sua diuinitate euelli, quàm facilè à nobis dicitur. ORO. Non est dictis conterendum tempus, ut ipse præuidisti. Nos istam præsentiam ad naturam diuinam referimus. Quod non soli, uerùm unà cum uetustioribus patribus facimus, & personam ipsam Christi, quæ diuina est, fatemur esse ubique, à qua tamen humanitas propterea non euellitur quod suo certo loco finiatur. Ambrosij locus.

Eustathius Antiochenus Episcopus apud Theodoretum ex Orat. habita super illo, Dominus creauit me initium uiarum suarum, ait: Homo enim qui erat mortuus, tertio quidem die resurgit. Maria aũt, quæ propter animi fortitudinem ad sancta membra tangenda magna alacritate ferebatur, repellens, dixit, Ne me

tangas: nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic illis, Ascendo ad patrem meum & ad patrem uestrum, Deum meum & Deum uestrum. Illud autem, Nondum ascendi ad Patrem meum, non dixit Verbum & Deus, qui è cœlo erat profectus & in sinu Patris uersabatur, nec quæ omnigenita contingit sapientia. Sed is qui ex omnibus membris erat compactus homo hoc protulit: qui cùm esset à mortuis excitatus, nondum post mortem ad Patrem ascenderat, sibi autem profectionis primitias reponebat, &c.

Et Hippolytus Episcopus in Orat. in 23. Psalmum apud Theodoretum Dialogo 2. Venit ad portas cœlestes. Angeli una cum eo incedunt. Sunt autem portæ cœlorum clausæ: nondum enim cœlum ascendit. Nunc primùm uidetur à cœlestibus potestatibus caro Christi ascendens, &c. Quomodo itaque, ut ipse alibi traris, etiam antea humanitas Christi fuit in cœlo? An ita fuit clancularia eius ascensio prior, ut etiam angelos & potestates latuerit? Et Athanasius ex quadam oratione apud eundem Theodoretum, Et spiritus adoptionis nondum erat in hominibus, quia primitiæ acceptæ ex hominibus nondum cœlum conscenderant, &c.

Chrysostomus in Homilia de Ascensione, Natura fragilis, natura contempta, in omnibus monstrata deterior, omnia uicit, omnia superauit, & omnibus hodierna die meruit excelsior reperiri. Hodie angeli uota desiderata receperunt: hodie Archangeli, quæ multo tempore cupiebant, inspicere ualuerunt, natu-

ram in-

ram nostram in sede dominica, &c.

PAN. A patribus libet ad scripturas diuinas rursus concedere, ut ostendam non tantum à resurrectionis & ascensionis tempore Christum ascendisse inuisibiliter cœlum, sed id iam inde ab initio feciſse, in momento incarnationis. Tum enim primùm ascendit inuisibiliter in cœlum, & ad dexteram Dei patris sui consedit, propter hypostaticam duarum naturarum unionem in Christo, quæ ab initio incarnationis facta est. Nam si deitas & humanitas Christi una sunt & inseparabilis persona, certè negari non potest, quin cùm filius Dei assumpsit in utero matris filium hominis in unitatem personæ, continuò euexerit & collocauerit eum in ea Maiestate & gloria, in qua ipse ab æterno apud patrem suum fuit. Nondum passus erat mortẽ, cùm coram discipulis transfiguratus est in monte, quo spectaculo, cùm Maiestatis suæ quasi gustum quendam discipulis præberet, palàm significauit, cœlestẽ Maiestatẽ sibi nec hactenus ab initio incarnationis defuisse, nec unquã in æternũ defuturã. Nemo, inquit, ascendit in cœlũ, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Qui descendit, inquit, de cœlo. Et quando hoc factum est? Quando assumpsit in utero matris Filium hominis in eandem personam. Itaque & tum ascendit Filius hominis in cœlum, & est deinceps in cœlo, etiamsi in terra omni contumeliarum genere afficiatur. ORO. Iam uideris mihi tua principia retinere. Causam quippe facis eius, quam tueris, ubiquitatis, hypostaticam

*unionem duarum naturarum in Christo, quæ cùm à initio incarnationis constiterit, mirabar te paulò ante illius initium ponere à resurrectione. Ideò te conabar in uiam reducere. Nunc quando tua sponte id fecisti, reddita est disputatio facilior. Duo uerò testimonia, quæ adduxisti, tuæ causæ nihil suffragantur. Scimus quippè, Christum esse transfiguratum, & ut suæ gloriæ gustum aliquem daret Apostolis, patefecisse lucem, claritatem, & candorem tam admirandum, ut oculi Apostolorum ea ferre non potuerint. Verùm tu mihi explices, quomodo ex eo facto probetur, illum tum fuisse quoad humanitatem in cœlis? In monte Thabor definito & certo loco, quemadmodum testantur Euangelistæ, illa res gerebatur: nec illorum quisquam prodidit, eum tum temporis, quod attinet ad corpus, uel in cœlis, uel Hierosolymis, uel in Bethania fuisse. Moses item & Helias, qui adfuerunt, non loquebantur inter se de illius corpore, quod esset ubique. Vox etiam paterna, quæ insonuit, id minimè testata est. Dixit tantummodò: Hic est filius meus dilectus: ipsum audite. Adhæc tres Apostoli, qui aderant, nihil huiusmodi patefecerunt. Quomodo igitur ex transfiguratione tuam colligis ubiquitatem? Maiestatem paternam Christo tum adfuisse, nec unquam defuisse, licet illam non uoluerit passim exerere, minimè abnuo: sed nego prorsus hoc dato consequi, eius humanitatem & in cœlo & ubique fuisse.*

Ex trãsfiguratione minime colligitur ubiquitas.

PAN. *Vnus attamen ex ijs qui adfuerunt, Ioannes inquam, scripsit cap. 3. quemadmodum retuli, Nemo ascendit in cœlum, &c.* ORO. *Non tuas agebo*

gebatur de Transfiguratione, sed de Nicodemi, quam uis magistri in Israel, imperitia, Christi magisterio castigabatur. Deinde locus admodū planus est ac perspicuus, nisi tu de industria eum infuscares. Dixit enim Christus, neminem ex hominibus in cœlum ascendere, nisi eum qui anteà descendit. Prius itaque Filius Dei, hoc est, secunda trinitatis persona, de cœlo descendit, id est, se deiecit ad carnem suscipiendam ex utero matris. Nec potest filium hominis intelligi de cœlo descendisse, quo ad humanitatem, quasi de cœlo eam attulerit, nec illam ex utero uirginis acceperit. Cumq; posteà ipsum appellat Filium hominis, personam diuinam Filij hominis uocabulo demonstrat, cuiam, cùm loquebatur, natura humana erat unita, & ita unita, ut Christus personam suam, modò ab una, modò ab altera natura nominet, sed frequentius ab humana, quoniam ea conspiciebatur. Interea nihilominus ascensus in cœlum & descensus meminit, quo Nicodemum ad suam diuinitatem manu duceret, ne illum putaret Magistrum uulgarem, ut erant scribæ ac pharisei: neque talem, ut antiquitus erant Prophetæ, sed crederet illum non tantùm hominem, sed Filium Dei, & Deum esse. Locus, Nemo ascendit in cœlū

Christum uerò, quoad diuinitatem de cœlo descendisse, & tamen in cœlo fuisse, quamuis nomen filij hominis interponatur, ostendit Cyrillus in libro de incarnatione Vnigeniti, dicens: Et à cœlo enim homo est Christus, licet carnē sancta Virgo pepererit. Quomodo igitur desuper & de cœlo? Deus enim Verbū, quod est desuper & ex patre, carnē ex Virgine sancta acci Cyrillus.

*unionem duarum naturarum in Christo, quæ cùm à initio incarnationis constiterit, mirabar te paulò ante illius initium ponere à resurrectione. Ideò te conabar in uiam reducere. Nunc quando tua sponte id fecisti, reddita est disputatio facilior. Duo uerò testimonia, quæ adduxisti, tuæ causæ nihil suffragantur. Scimus quippè, Christum esse transfiguratum, & ut suæ gloriæ gustum aliquem daret Apostolis, patefecisse lucem, claritatem, & candorem tam admirandum, ut oculi Apostolorum ea ferre non potuerint. Verùm ut mihi explices, quomodo ex eo facto probetur, illum tum fuisse quoad humanitatem in cœlis? In monte Thabor definito & certo loco, quemadmodum testatur Euangelistæ, illa res gerebatur: nec illorum quisquam prodidit, eum tum temporis, quod attinet ad corpus, uel in cœlis, uel Hierosolymis, uel in Bethania fuisse. Moses item & Helias, qui adfuerunt, non loquebantur inter se de illius corpore, quod esset ubique. Vox etiam paterna, quæ insonuit, id minimè testata est. Dixit tantummodò: Hic est filius meus dilectus: ipsum audite. Adhæc tres Apostoli, qui aderant, nihil huiusmodi patefecerunt. Quomodo igitur ex transfiguratione tuam colligis ubiquitatem? Maiestatem paternam Christo tum adfuisse, nec unquam defuisse, licet illam non uoluerit passim exerere, minimè abnuo: sed nego prorsus hoc dato consequi, eius humanitatem & in cœlo & ubique fuisse.*

Ex trãsfiguratione minime colligitur ubiquitas.

PAN. *Vnus attamen ex ijs qui adfuerunt, Ioannes inquam, scripsit cap. 3. quemadmodum retuli, Nemo ascendit in cœlum, &c.* ORO. *Non tuus agebo*

gebatur de Transfiguratione, sed de Nicodemi, quamuis magistri in Israel, imperitia, Christi magisterio castigabatur. Deinde locus admodū planus est ac perspicuus, nisi tu de industria eum infuscares. Dixit enim Christus, neminem ex hominibus in cœlum ascendere, nisi eum qui anteà descendit. Priùs itaque Filius Dei, hoc est, secunda trinitatis persona, de cœlo descendit, id est, se deiecit ad carnem suscipiendam ex utero matris. Nec potest filium hominis intelligi de cœlo descendisse, quo ad humanitatem, quasi de cœlo eam attulerit, nec illam ex utero uirginis acceperit. Cumq; posteà ipsum appellat Filium hominis, personam diuinam Filij hominis uocabulo demonstrat, cuiam, cùm loquebatur, natura humana erat unita, & ita unita, ut Christus personam suam, modò ab una, modò ab altera natura nominet, sed frequentius ab humana, quoniam ea conspiciebatur. Interea nihilominus ascensus in cœlum & descensus meminit, quo Nicodemum ad suam diuinitatem manu duceret, ne illum putaret Magistrum uulgarem, ut erant scribæ ac pharisei: neque talem, ut antiquitus erant Prophetæ, sed crederet illum non tantùm hominem, sed Filium Dei, & Deum esse. Locus, Nemo ascendit in cœlū

Christum uerò, quoad diuinitatem de cœlo descendisse, & tamen in cœlo fuisse, quamuis nomen filij hominis interponatur, ostendit Cyrillus in libro de incarnatione Vnigeniti, dicens: Et à cœlo enim homo est Christus, licet carnē sancta Virgo pepererit. Quomodo igitur desuper & de cœlo? Deus enim Verbū, quod est desuper & ex patre, carnē ex Virgine sancta acci Cyrillus.

piens, & eam ſuam propriamq; exiſtimans, tanquam ſi eam deſuper & de cœlo detuliſſet, dicebat: Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, Filius hominis, qui eſt in cœlo. Ea enim quæ ſua ſunt proprie carni ſemper attribuit. Adunatum uerò ſemel, iam cũ ipſa unum ſcilicet æſtimabitur. Hæc etiam uerba Cyrilli ſuperius tibi retuli, cùm de communicatione ἰδιωμάτων loqueremur, & locum Ioannis, quem tibi modò uiſum eſt repetere, fuſius expoſui. Quod uerò tu conaris hinc elicere naturã humanam domini è ueſtigio de incarnatione fuiſſe in cœlum euectam, ita ut ſimul eodemq; tempore tum in utero Virginis eſſet, tum in cœlo, tum etiam ubique, nulla id ratione facis. Largiar tibi quidem illam perſonam, quæ naturam humanam aſſumpſerat, in cœlo & ubique fuiſſe: at corpori Chriſti minimè id eſſe dandum, prorſus affirmo. Neque ullo modo patiar, ut ex unione hypoſtatica, quam paſſim & ad unumquodque uerbum prædicas, mihi obtrudas credendum quicquid uolueris.

PAN. Annón etiam Paulus dicit, Regnum Dei eſt Iuſtitia, pax, & gaudium in ſpiritu ſancto? Chriſtus autem habuit omnem Iuſtitiam, & omnem cum patre ſuo pacem, omneq; in ſpiritu ſancto gaudium, etiam priuſquàm reſurgeret à mortuis, & in cœlum uiſibiliter aſcenderet. Negari ergo non poteſt, quin is tunc fuerit in regno patris ſui. ORO. Verum quidem eſt, Ieſum Chriſtum fuiſſe in regno patris ſui, etiam cùm in terris ageret ante mortem, licet illud noluerit patefacere. At non conſequitur, eius humanitatem fuiſſe in cœlo & ubique. Poteſt enim regnum

Dei

Dei latius patere, quàm humanum corpus, quod in eo esse conceditur. Multa, si rectè meministi, de hoc paralogismi genere dixi. Nunc addam, ex eo infirmitatem argumenti cõstare, quod Christus Lucæ 17. dixit Apostolis, Regnum Dei intra uos est: nec tamen inde quisquam conficeret, Apostolos & credentes fuisse ubiq;. Proinde nolim te mea patientia sic abuti, ut hoc genere argumentorum agas.

Regnum Dei latius patet quàm humanum corpus.

PAN. Quando hæc ad tuum palatum non faciunt, id saltem mihi responde, Nõne Christum credis, dum in terris egit, & grauia pro nobis passus est, illum interea sibi retinuisse Maiestatem suam, licet occultam? ORO. Credo. Quin & adijcio, illum nõ sic eam dissimulasse, quin aliquoties manifestis argumentis ipsam indicarit. Nam quadraginta diebus ac noctibus ieiunauit, super aquas ambulauit, inuisibilem se reddidit, mortuos tactu suscitauit, & coram discipulis corpus suum magna claritate ac gloria transformauit, aliaq; permulta huius generis fecit, quæ diuinitati eius testimonium ferebant. PAN. Cùm res hoc pacto, ut dicis, habeat, mirandum uehementer est, uos qui adimitis humanitati Christi suam cœlestem cum in cœlo & in terra, tum præcipuè in Cœna Dominica præsentiam, necesse habeatis multa spiritualia & cœlestia ornamenta, corporibus etiam aliorum hominum absq; substantiæ ipsorũ immutatione tam in hoc quàm in futuro seculo cõcedere, non tamen eandẽ aut etiam excellentiorem Maiestatem illi corpori, quod in persona Christi cum diuinitate eius hypostaticè unitum est, uelle tribuere. ORO. Non planè intelligo

quid tibi uelis. Nos enim Christo cœlestē præsentiam non adimimus. Nam cum sit Deus, illum quo ad diuinitatem ubiq; esse affirmamus, & Cœnæ suæ adesse nunquam negauimus. Interest quidem non tantùm diuinitate, ac spiritu suo, uerum etiam corpore ac sanguine, præsentia utiq;, non ut uos paßim crepatis reali, corporali, et substantiali, sed præsentia fidei, quæ facit illa esse præsentia quo ad spiritum & animum credentiū, quæ locorum spacio maximè distant. Verùm hoc argumentum in præsentia non decreui tractare. Quare de illo plura dicere supersedebo.

Tu uerò (si uidetur) clarius explicato, quæ cogamur aliorum hominum corporibus ornamenta dare absq; substantiæ illorū immutatione. Cæterùm prius quam hoc me doceas, id accipito, alienū prorsus à nobis esse, ut corpori Christi negemus parem aut excellentiorem Maiestatem, quàm alijs corporibus demus, cùm (ceu crebrò testatus sum) Christi humanitatem sentiam, & profitear omnes creaturas dignitate, potentia & Maiestate antecellere. PAN. Cogita quæso mihi quàm absurdæ rerum mutationes fierent, si firmum & fixum teneamus, quòd ubi rerum substantijs accidunt diuino miraculo ὑπερφυσικὰ, statim substantiæ ipsæ mutentur necesse sit. Vultus Mosis tanto splendore fulget ut Israelitæ non poßint in eum intendere. Elias corpore suo subuehitur in cœlum. Petrus corpore suo ambulat in mari, tanquam in arida, Philippus euanescit derepente ex oculis Eunuchi. Paulus rapitur in tertium cœlum, et in paradisum, & nescit an in corpore, an extra corpus. Atq; hæc quidem

ὑπερφυσικὰ in hoc seculo humanis corporibus nõ immutata ipsorum substantia, mirabiliter contigerunt. Sed quid? Non tantùm hominũ, uerumetiam aliarũ rerum tam animatarum, quàm inanimatarum corporibus multa ὑπερφυσικὰ accidere solent, manente interim substantia earum inuiolata. Asina Bileam loquitur, sicut homo. Aqua maris rubri stat utrinq; quasi murus. In Iosue Sol & Luna stant per unum diem immobiles, et tamen natura eorum est, ut indesinenter currant. Plato ait, Solem & Lunam à ueteribus dici θεοὺς, hoc est, cursores, quod semper solent θέειν, hoc est, currere. Et Aristoteles scribit nullum esse finem motus cœlestis. Num igitur interea dum Sol & Luna stant contra Gibeon immobiles, non retinuerunt suam substantiam, & Sol non mansit Sol, nec Luna mansit Luna? In 4. lib. Reg. ferrum natat in superficie aquæ, & tamen manet ferri substantia, etiamsi grauitas cedat. Dices, aut angelum aut Deum ipsum supposuisse manum ferro, ut in altum sustolleretur. Rectè: nec nos affirmamus quæ ὑπερφυσικὰ accidunt corpori Christi, accidant ei absq; potentia manus Dei. Et apud Danielem ignis in tantum non lædit adolescentes, ut ne quidem capillos capitis eorum adureret. Sed de miraculis corporum in hoc seculo hactenus. In futuro autem seculo in resurrectione corpora humana etsi ornabuntur cœlesti gloria, non tamen non erunt uera corpora. ORO. Multa sanè Dei miracula Pantache recensuisti, & quidem lingua tam uolubili, ut oratio tua instar fluuij seu torrentis ferri uideretur. Sed quorsum? Vt ostenderes corpora tum humana tum aliarum rerum non fuisse

Excutitur argumẽtum à miraculis

immutata substantia sua, licet illis quædam transnatu
ralia contigerint. Et ideò (quantum assequor) uis con-
ficere, neq; substantiam corporis Christi mutari, quã-
uis ei super naturam (ut opinamini) adiecta est ubiqui
tas. Verum enimuero ad hanc tuam argumentatio-
nem duplex responsum potest reddi. Primum, quæ
tu mira celeritate narrasti, sacris literis contineri, &
idcircò à nobis citra exceptionem esse credenda. Sed
non adhuc sacris testimonijs probasti, corpus Chri-
simul esse, aut in multis locis, aut ubiq;. Propterea mi
nimè cogor id tibi æquè dare ac illa quæ tõmemora-
sti. Et sanè cùm diceres, attentè animum aduertebam, an
demonstrares ijs censendis quæ percurristi, aliquod hu
manum corpus aliquando simul in multis locis aut
ubiq; fuisse: quod cùm abs te non sit ostensum, hac de-
lata inductione parùm, imò nihil, profeceristi. Deinde
te scire oportet ea transnaturalia, de quibus tam co-
piosè disseruisti, corpori cum humano tum aliarum re-
rum non auferre terminos, lineamenta & circumscri-
ptionem, sine quibus constare non possunt, ut uestra
facit ubiquitas. Quocirca in eis facilè potuit eadem
substantia manere, quamuis nouæ ac miræ qualitates
accesserunt. Nam illæ utut essent excellentes & admi
randæ, subiecta sua non reddebant infinita & immen-
sa, ut uestra facit ubiquitas. Quamobrem certò scio,
nihil te promoturum esse, nisi eam uel in sacris literis
haberi demonstraueris, uel esse rem parem atq; con-
similem ijs, quæ paulò ante memorasti.

PAN. Etsi nihil profeci te iudice tot enumera-
tis admirandis rebus, pergam tamen ulterius, & ex-

peria

periar an queam pluribus adhuc allatis corporum dotibus te poßim de ſententia deducere. Theologi narrant in ſcholis quatuor eſſe dotes, quibus humana corpora poſt reſurrectionem ornabuntur, nimirum Impaßibilitatem, Claritatem, Subtilitatem & Agilitatem. Seminatur, inquit Paulus, in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in uirtute: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. Et mox: Sicut portauimus imaginem terreni, ita portabimus imaginem cœleſtis. Et Auguſtinus, Credere, inquit, debemus talia corpora nos habituros, ut ubi uelimus, quando uoluerimus, ibi ſimus. Non ſine cauſa illa corpora ſpiritalia nuncupata ſunt: non tamen ideò dicta ſunt ſpiritalia, quia erunt ſpiritus, non corpora. Nam iſta quæ modò habemus, dicuntur animalia corpora, & tamen animæ non ſunt, ſed corpora. Sic illa ſpiritalia dicuntur, ſed non ſunt ſpiritus, niſi quia ad nutum ſpiritus ſeruient, &c. Et mox: Vbi uolueris, eris, ſed à Deo non recedes. Vbi uolueris eris, ſed quocunq; ieris, Deum tuum habebis. Audis quanta Maieſtas, quantæ dotes humanis corporibus diuinitus contingant, & putas tu non multò plures & illuſtriores & diuiniores illi corpori quod eſt à filio Dei in unitatem perſonæ, in hypoſtaticam unionem aſſumptum, contingere abſque ſubſtantiæ mutatione poſſe?

ORO. Dotes illas Impaßibilitatis, Claritatis, Subtilitatis, & Agilitatis corporum beatorum facilè recipio, præſertim cùm inter eas tua Vbiquitas non connumeretur: & quidem rectè: nam omnes alias cor-

rumperet. Diuersas quoq; Pauli seminationes libens admitto. Non enim dicit, Nunc seminatur corpus in loco, resurget corpus absq; loco: seminatur nunc finitum ac terminatum corpus, tum surget immensum & infinitum, quod omnia repleat. Nec me offendit Augustinus, cum ait, Nos talia esse habituros corpora, ut ibi simus, ubi uelimus: quia dum sic loquitur, meam sententiam confirmat. Vtitur quippè aduerbijs Vbi, & Ibi, quæ ad locum pertinent. Vnde conficitur, non fore illa corpora sine loco. Tu modò illum sciscitaris, quomodo ultra orbes cœlestes sit ambiens corpus, ut mihi est uerisimile. Quod illa inquit scriptura esse ad nutum spiritus, rectè scribit: quia spiritus, cùm sit prudens, nunquam id uolet, quod impossibile factu uiderit, nimirum ut suum corpus simul sit in uarijs locis aut omnia impleat. Placet item, quod ait, Nos à Deo non esse recessuros ubicunq; fuerimus, aut esse uoluerimus. Admodum sapienter loquitur: non enim affirmat nos futuros ubicunq; Deus fuerit. Et utitur his aduerbio loci Vbi, & Quocunq;: unde colligimus nostra corpora tum fore in loco, licet sint ultra cœlos euehenda. Noui præterea non minus ac tu magnas & præclaras dotes dandas esse diuinitus humanis corporibus. Et persuasissimum habeo, Christi corpus multò plures, maiores & excellentiores iam esse consecutum, idq; citra substantiæ suæ immutationem. Sed ubiquitatem excipio, quoniam ab ea substantia corporis eius non solùm immutaretur, sed etiam funditus perderetur.

PAN. Id libet ad hæc adijcere, Augustinum & multos

multos alios existimare, Christum in natiuitate sua transiuisse per clausum uterum maternum, & à resurrectione per clausa ostia ad discipulos. Quid mirum, inquit, si dominus ad discipulos glorificatum corpus claustris stupentibus intromisit, qui illæso materni pudoris signaculo ianuam mundi huius intrauit? Cuius ortum naturæ nesciunt, non dubites si potentiam exercere uideas triumphantem, quem tam stupenda perspicis egisse nascentem. Et iterum: Quid mirum si substantiam corporis nostri per clausa ostia trāsmisit, cui etiam penetralia supernorum & solis angelis familiare secretum patere consueuit, &c. Hactenus Augustinus. Alij tradunt, corpus glorioſum transire sphæras cælorum sine illarum diuisione. Siue autem hoc fiat ex ui subtilitatis (ut ipsi loquuntur) siue ex uirtute diuinæ potentiæ, certè duo corpora in uno loco sint necesse est, quod non minus miraculum est, quàm si unum corpus fuerit simul in duobus aut pluribus locis. Ac breuiter, si filius Dei non dedignatus est Filium hominis in hypostaticam & inseparabilem unionem assumere & secum ad dexteram Dei euehere, non dedignatur etiam in eum omnem suam cœlestem Maiestatem, seruata interim substantia eius, conferre. Quare, tantum abest ut uisibilis ascensus Christi in cœlum, & sessio eius ad dexteram dei patris impedimento sint, quo minus corpus & sanguis eius sint uerè & realiter præsentia in Cœna, ut id maxime omnium stabiliant & confirment: Nec potes ea à Cœna eijcere, nisi simul etiam ea de dextera patris detraxeris. ORO. Tuum hoc auctarium causam quam defendendam su-

ſcepiſti, non tuetur. Nam quæ abs te ſumuntur, minime firma ſunt, neque omnes de illis eodem modo loquuntur. Nam uterum Virginis poſt partum manſiſſe clauſum uerba Lucæ uidentur negare. Sic enim ſcribit cap. 2. Poſtquàm cõpleti eſſent dies purgationis eorum, ſecundum legẽ Moſis, adduxerunt eũ Hieroſolymam, ut ſiſterent illum domino, ſicut ſcriptũ eſt in lege domini: Omne maſculinũ adaperiens uuluam, ſanctum domino uocabitur. Fruſtra lex illa induceretur, ſi Chriſtus matris uterum naſcendo non aperuiſſet.

Au nterus uirginis manſerit clauſus in natiuitate domini.

Sed quia rationem hanc facilè poſſes cauillari, dicendo, Chriſtum idcirco fuiſſe adductum in templum, ne alij offenderentur, qui Virginem peperiſſe ignorabant, & animaduertentes non obſeruari quæ lex præcipiebat, non tantùm deteſtati eſſent puerum, pro quo facta non fuiſſet oblatio, uerum etiam Ioſephum & Mariam ut tranſgreſſores diuinæ legis accuſaſſent, ideò quorundam interpretum hac de re ſententiam tibi recitare non grauabor. Origenes ſuper Lucam exponens hunc locum, ita ſcribit: Omne maſculinum quod aperit uuluam, ſacratum quippiam ſonat. Quẽcunque enim de utero effuſum marem dixeris, non ſic aperit uuluam matris ſuæ, ut dominus Ieſus: quia omnium mulierum non partus infantis, ſed uiri coitus uuluam reſerat. Matris uerò domini eo tempore uuluæ reſerata eſt, quo & partus editus: quia ſanctum uterum & omni dignatione uenerationis uenerandum ante natiuitatem Chriſti maſculus omnino non tetigit, &c. Intelligis iam opinor, quid iſta de re ſenſerit Origines. PAN. Ille ſæpe à uero aberrat: propterea

Origenes.

pterea dicta eius non magni facio. ORO. Sed cùm habuerit permultos reprehensores, huius attamen erroris (ut ipse putas) nunquam est accusatus. Possem etiam adducere Tertullianum de carne Christi, at supersedeo, quia & illum ut hæreticum hominem reijceres.

Verùm audias Ambrosium, quem inficiari non poteris ætate sua fuisse incredibilis authoritatis. Ille quoque super Lucam ita scripsit: Hic ergo solus aperuit sibi uuluam. Nec mirum: hic enim dixerat ad Prophetam, Priusquam te formarem in utero, noui te, & in ulua matris sanctificaui te. Qui ergo uuluam sanctificauit alienam, ut nasceretur Propheta, hic est qui aperuit matris suæ uuluam, ut immaculatus exiret, &c. Hæc ille. Ambrosius

Hieronymus item 1. Tomo ad Eustochium De custodia uirginitatis, ait, Dei filius pro nostra salute hominis factus est filius. Nouem mensibus in utero ut nascatur expectat, fastidia substinet, cruentus egreditur, pannis inuoluitur, blanditijs delinitur, &c. Proinde uides quàm dubium tuæ rationis fundamentum ieceris. Interim non ignoro quid hac de re Hieronymus contra Heluidium disputarit. Cum Heluidio nõ facio, nec; uirginitatem Mariæ incorruptam hisce Patrum testimonijs in dubium reuocatam uelim. Et scio locum Ezechielis 44. de porta clausa consueuisse à celeberrimis Patribus ad beatam uirginem adaptari, quemadmodum & Ambrosius cum quibusdam alijs episcopis 81. epistola lib. 10. fecit. Ideò cum scripturis tradatur eam peperisse uirginem, quodq; ipse tibi

sumis ab illis non doceatur, authoritate caret quod ab firmas: unde responsione longiori non indiget.

De ingressu Christi Ianuis clausis.

Deinde quod posteà subijcis, Christū à resurrectione per ostia clausa intrasse ad discipulos, nihilo plus habet firmitatis. Non enim tradit Euangelista dominū esse ingressum ostijs manentibus clausis, unde intelligere possumus ianuas ad eius accessum uel ingressum fuisse clausas. Nec est absimile uero illas continuo ipsius præsentiæ cessisse, quod non uulgare miraculum fuit. Sic etiam mare rubrum uirgæ Mosis cessit. Domino itaq; cum uellet ingredi fores ultro cesserunt. Minoto illum potuisse per fenestras, uel per tecta ingredi, uel undecunque uoluerit. Non enim eius corpori uel agilitatem uel subtilitatem adimo. Potuit ascendere uidentibus Apostolis in cœlum, & non potuit aut ad tectū, aut ad fenestras illius domus pertingere? Quamobrem (ut arbitror) agnoscis duo illa quæ tibi ex Augustino sumpsisti non esse tam firma quin possint reijci. Quare nihil ex illis certa connexione potes conficere.

An Christus è monumento clauso egressus sit.

Soletis etiam ex eo argumentum ducere, quòd Christi corpus è monumento clauso exierit, cum à mortuis resurgeret, quod nec Euangelista dicit, nec ab omnibus patribus est probatum. Leo quippe Romanus Episcopus & primus eius nominis in epistola 97. ad Leonem Augustum cap. 2. ita scribit, Dicant ergo isti hypocritæ qui cæcis mentibus lumen nolunt recipere veritatis, in qua forma crucis ligno dominus maiestatis Christus affixus sit? quid iacuerit in sepulchro? & re uoluto monumenti lapide quæ tertio die caro resurrexerit?

xerit? &c. Quin & antea in epistola 83. ad Palestinos Episcopos eandem sententiam ac ferè totidem uerbis expressit.

An corpora sphæras cœlorum transeant citra illarum scissionem.

Non dissimilis est farinæ quod adijcis, Corpus glorioſum transire sphæras cœlorum, citra illarum diuisionẽ. Eius fides penes authores esto. Scripturæ nos id credere minimè iubent. De Beato Stephano sanè in Actis Apostolicis legitur, eum uidisse cœlos apertos. Quod si ut uisu suo penetraret ad Christũ, cœli aperti sunt, quis neget sanctis ascendentibus ad regionem uiuorum orbes cœlestes esse cessuros? Si tamen permanebunt usq; ad extremum diem.

Id etiam quod est incertum, ut confessum & uerissimum tibi sumis, non minus esse miraculum, si duo corpora simul eundem locum occupẽt, quàm si unum corpus omnia loca impleat. Si quis tibi hoc negaret, aut diceret sibi non liquere, unde confirmationem tui dicti peteres? Scio Philosophos utrunq; negare: sed nescio an affirment parem utrinq; absurditatem. Neq; tu demonstras hoc ita se habere, quemadmodum pronuncias.

Rursus postea, sed frustra, cuculi cantilenam repetis, Verbum Deum omnem suam Maiestatem contulisse carni quam assumpserat, ob hypostaticam unionem. Omnem quidem contulit, quantam illa ferre potuit. Verbum Dei non fuit instar Iouis Ethnicorum, de quo Poetæ fabulantur, eum gratificari uoluisse amicæ, quam deperibat & illi eo splendore ac Maiestate adfuisse, qua reuera in sua natura pollebat, Verùm hoc ei cum dedisset, illam miserabiliter extinxit. At filius

Dei naturam humanam quam assumpsit uult seruare, non autem perdere. Christi autem humanitas qui seruari poterit cum uestra ubiquitate? cùm sit necesse infinita & immensa euadat, si naturæ diuinæ coextendatur?

Quàm autem rectè atq; constanter sessio ad dexteram patris, & ascensus in cœlum inferant corpus & sanguinẽ Christi realiter et substantialiter esse in Cœna, uel in pluribus locis eodem tempore, nunc non attinet dicere, quia superius demonstratum est, etiam si dextera patris sit in multis locis aut ubiq;, non inde fieri ut qui ad illam sedet pariter sit ubiq;: cœlum uerò ponendum esse ubiq; nulli annuent, nisi qui uehementer desipiant.

Ad extremum & mihi & meis exprobras, quòd è Cœna corpus & sanguinem Christi conemur eijcere. Calumniaris hæc dicendo, non doces. Neq; quod sentis profers. Cùm enim te non lateat nos monstrosæ uestræ præsentiæ in Cœna corporis et sanguinis Christi non assentiri, cur dicis nos conari ea inde eijcere? Nimis fatui essemus, si niteremur alicũde aliquid eijcere, quod adesse non putaremus. At uicissim tu sic habeto, Vos non posse corpus & sanguinem Christi corporaliter & substantialiter pani ac uino Cœnæ dominicæ coniungere, nisi è cœlo ea detraxeritis: quoniam in pluribus locis simul esse non possunt. Nec tu prudenter colligis ac ratiocinaris, humanitatem Christi à dextera patris esse auellendam, si præsens aliquibus locis esse negetur, cùm dextera patris illam multis modis amplitudine uincat.

Sed

*Sed postquam tam fortiter asseueras corpus et sanguinẽ domini adesse pani ac uino cœnæ sacræ, quo genere præsentiæ dicis ibi esse?* PAN. *Hæc nostra sententia est, In cœna ubi est Verbum & mandatum Christi, accipitur corpus & sanguis eius, ut cum hæc antea ex personali unione duarum naturarum in Christo, & ex sessione ad dexteram patris, uerè quidem, non autem localiter sed personaliter & cœlesti modo præsentia sint, nunc fiant etiam præsentia definitiuè. Definit enim Christus uerbo suo, ubi uelit corpus & sanguinem suum ut sumantur dispensare. Hanc definitionem uocamus aliàs Consecrationem.* ORO. *Deus bone, quid ego audio? Erant igitur ante Cœnæ administrationem, aliàs præsentia in pane ac uino corpus & sanguis domini personaliter & cœlesti modo? Non arbitror te uelle, cùm Cœna inter fideles incipit agi, personalem illam & cœlestem præsentiam desinere.* PAN. *Cur desinat? Semper enim ista eodem modo sunt omnibus rebus præsentia, & ubique: postea uerò ibidem, scilicet in Cœna, fiunt præsentia definitiuè.* ORO. *Iam (ut uideo) pro una præsentia multus habebimus. Et adeò fœcundi estis artifices, ut uestra industria, illa præsentia non solùm conduplicetur, sed triplicetur. Est enim in uestra Eucharistia præsentia corporis & sanguinis Christi, primùm Personalis, deinde cœlestis, tertiò definitiua, seu consecrationalis. Vah, quis obsecro tantũ acumen, tantámue subtilitatẽ posset assequi?* PAN. *Non est in sacris rebus ita ridendum. Religiosa sunt religiosè, non ridiculè tractanda.* ORO. *Absit, ut à me uel sacra uel religiosa ri*

deantur. Vestra sunt Pantache figmenta, quæ mihi risum mouerunt, non res diuinæ. Sed cum id te offendat, mihi temperabo.

An impij sumant corpus & sanguinem Christi.

Sed uidetur (ut ad rem institutam redeam) ad tuum hoc dogma consequi, etiam impios & destitutos omni fide ad cœnam domini (ut fit) impudenter accedentes uerè corpore ac sanguine Christi uesci. PAN. Quidni? Omnino est necesse, atq; ita sentimus. Quod ut abs te clarè intelligatur, sic accipe. Cùm ex personali duarum naturarum unione in Christo, & ex uerbo Christi constet corpus & sanguinem eius uerè ac substantialiter in cœna adesse & distribui, mendacium hypocritarum & sceleratorum hominum non est tanti, ut ueritatem uerbi Dei euertant. Incredulitas, inquit Paulus, illorum, fidem Dei non facit irritam. Ac sumunt illi quidem corpus & sanguinem Christi in cœna, tantum autem abest ut salutarem harum rerum fructum percipiant, ut potius periculum æternæ salutis hac sumptione illis creetur, iuxta dictum Pauli, Qui edit & bibit indigne, iudicium sibi edit & bibit, non dijudicans corpus domini. Et quid mirum? An non Deus ipse, qui cœlum & terram replet, in quo omnes sumus, uiuimus, & mouemur, natura sua non est nisi iustitia, charitas, rectitudo, uita, lux, ueritas, et felicitas: & tamen hominibus peruersis iuxta Psalmum est peruersus, iniustis iniustus, excæcatis excæcatio, mendacibus mendaciũ, non quidẽ uitio Dei, sed uitio hominũ impiorum, qui sibi talem Deum fingunt, quales ipsi sunt? Annon Euangeliũ Christi, Dei sapientia et potẽtia est ad salutem omni credenti: & tamen

stultis

stultis est stultitia, & pereuntibus exitium? Audi mihi Christū ipsum, In iudiciū, inquit, ueni in hunc mundū, ut qui non uident, uideant, & qui uident cæci fiant. Fiunt aūt cæci, nō quia Christus non sit lux, sed quia ipsi sunt tenebræ, qui cū hac luce pugnant, et suo ipsorū uitio excæcantur. Quare etsi corpus & sanguis Christi in cœna sunt credentibus & cibus et potus ad uitā æternā, tamen hypocritæ & impœnitentes edunt & bibunt sibi iudicium seu damnationē, quod quæ sunt maximè salutaria, sua ipsorum impietate abutantur.

ORO. Equidem hac de re tecum disputans, non contendo sceleratorum incredulitatem fidem abrogare Deo. Ille quippè fidelis manet, neque seipsum negare potest, quantumuis homines perfidi sint & increduli. Sed rationes, quibus affirmo impios, cùm sunt in sacra Cœna, neque corpore neque sanguine Christi uesci, aliunde sumo: nempe, quòd fide illa percipiuntur, qua cùm destituti sint infideles, sacramento quidem externo possunt uti, uerùm à re sacramenti excluduntur. Deinde alimonia corporis et sanguinis Domini uitam æternam secum indiuisibili nexu coniunctam habet, ut 6. Ioan. luculentissimè docemur. Et huic sententiæ multos Patres habeo suffragatores.

Fide percipitur corpus & sanguis Christi.

Origenes in Matth. cap. 15. in locum illum, Quod intrat in os, &c. ita scribit: Multa porrò & de ipso Verbo dici possent, quod factum est caro, uerusq; cibus, quem qui comederit, omnino uiuet in æternum, quem nullus malus potest edere. Etenim si fieri posset, ut qui malus adhuc perseueret, edat Verbum factum carnem, cùm sit Verbum & Panis uiuus, nequaquam

Cibus corporis & sanguinis Christi habet coniunctam uitam æternam. Origenes.

ſcriptum fuiſſet, Quiſquis ederit panem hunc, uiuet in æternum.

Auguſtinus Et Auguſtinus in Ioan. Tract. 26. ait, Videte fratres panem cœleſtem, ſpirituali ore manducate, &c. Et ibidem: Credere enim in eum, hoc eſt manducare panem uiuum, &c. Et paulò antè in Tract. 25. Quid paras dentem & uentrem? Crede et manducaſti, &c. Quod procul dubio à Cypriano mutuatus eſt. Idem autor præterea 26. Tract. in Ioannem, ait: Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubiò non manducat ſpiritualiter carnem eius, nec bibit eius ſanguinem, licet uiſibiliter & carnaliter premat dentibus ſacramentum corporis et ſanguinis Chriſti, ſed magis tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſibi manducat & bibit. Ac in eodem Tract. rurſus idem teſtatur, dicens: Et de menſa dominica ſumitur, quibuſdã ad uitam, quibuſdam ad exitium. Res uerò ipſa cuius ſacramentum eſt, omni homini ad uitam, nulli ad exitium, quicunq; eius particeps fuerit, &c. Quis hîc non intelligat rem Sacramenti, hoc eſt, corpus & ſanguinem Chriſti à nemine ſumi poſſe ad exitium?

His addas de Ciuitate Dei lib. 21. cap. 25. ita ſcribi. Qui ergò eſt in eius corporis unitate, id eſt in Chriſtianorum compage membrorum, cuius corporis ſacramentum fideles communicantes de altari ſumere conſueuerunt, ipſe uerè dicendus eſt manducare corpus Chriſti, & bibere ſanguinem Chriſti, ac per hoc hæretici, & ſchiſmatici ab huius unitate corporis ſeparati, poſſunt idem percipere ſacramentum, ſed nõ ſibi utile

utile. Imò uerò etiã noxiũ quo iudicentur grauius, uel tardius liberẽtur, &c. Hic ait, Vnitũ corpori Christi, q̃ est ecclesia, uerè corpus Christi mãducare: hæreticos uerò et schismaticos, sacramentũ posse percipere: rẽ uerò sacramẽti nequaquã. Et mox idẽ statuit scribẽdo, Nõ dicendũ est eũ mãducare corpus Christi, qui in corpore nõ est Christi, &c. Apertius idẽ inculcat subiiciens, Nec isti ergo dicendi sunt manducare corpus Christi, quoniam nec in membris computandi sunt Christi. Vt enim alia taceam, non possunt simul esse et membra Christi & membra meretricis. Deniq; ipse dicens, Qui manducat carnem meam & bibit sanguinẽ meum, in me manet & ego in eo, ostendit quid sit non sacramẽtótenus, sed reuera corpus Christi manducare, & eius sanguinem bibere. Hoc est enim in Christo manere, ut in illo maneat & Christus. Sic enim hoc dixit, tanquam diceret, Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat, aut existimet manducare corpus meum, aut bibere sanguinem meum, &c. Et in Sententijs decerptis ex eodem, Sententia 338. Nam qui discordat à Christo, nec panem eius, nec sanguinem bibit, etiam si tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat. Idem Augustinus super Iohãnem tractatu 27. Signum quia manducauit, & bibit hoc est, si manet, & manetur: si habitat, et inhabitatur: si hæret, ut nõ deseratur, &c.

Præterea Hieronymus In Hieremiam libro 4. cap. 22. inquit. Omnis enim hæreticus nascitur in ecclesia, sed de ecclesia proijcitur, & contendit & pugnat contra parentem. Quodq; infert, Non comedent, & non Hieronymus.

bibent, subauditur corpus et sanguinē saluatoris, &c. Hæc de hæreticis is pater loquitur. Possem & alia permulta loca ex ueteribus producere, quibus demonstrarem fide percipi corpus Christi, & impijs ac destitutis fide symbola tantùm seu externum sacramentum dari posse, non autem ab illis corpus et sanguinem Domini percipi: sed breuitatis ratio est habenda.

Neq; dictum Pauli quod attulisti sententiæ nostræ quicquam officit. Non enim est absurdum, illum qui manducat & bibit indignè, reum fieri corporis & sanguinis Domini: quandoquidem ea iniuria, qua externum sacramentum afficitur, in rem significatā redundat. Quod etiam Hieronymus in Malachiam testatur, ubi scribit, Propheta Hebræos coarguit, quod ex uictimis uilibus, macilentis, & mutilatis offerrent sacrificia. Ita Deus contemnebatur, et mysterium, quod eius instituto sanctum erat, prophanabatur. Et prana oblatio ineptarum uictimarum in contumeliā Dei cedebat. Verba eius hæc sunt: Dum enim sacramenta uiolantur, ipse cuius sunt sacramenta uiolatur, &c. Damus itaq; impios accipiendo externa symbola indiuiū sibi edere ac bibere, quod non dijudicent corpus Domini. Non enim leuiter peccant, dum panem & uinū, quæ corpus Christi dicuntur, quod sint eius sacramentum, perinde habent atq; communem panem & prophanum uinum. Quapropter cùm inter ista nihil discernant, idcircò se declarant institutū Domini aspernari. Præterea quod adiecisti, Deū alioqui iustum iniustum fieri sceleratis, & peruersis peruersum, Euangelium etiam aliòqui salutiferum euadere mortē, non

minus cõfirmat nostram sententiam atq; tuam. Sancta quippe dicimus et salutaria Eucharistiæ symbola, quæ Christus instituit, & nihilominus abutentibus fiunt laqueus, & mors & exitium.

PAN. In summa, id tibi affirmare possum, me nolle uel esse uel haberi alicuius noui in Ecclesia Christi dogmatis uel autor uel defensor. Lutherũ quippe in ista controuersia sum secutus, quòd illũ uideam diuinis testimonijs munitum. ORO. Quomodo potes affirmare Vbiquitatis dogma non esse nouum, cùm in scripturis diuinis minimè reperiatur, nec ullum ex Patribus ostenderis, qui corpus Christi esse ubiq; scripserit? Sed potius permulti sint, cùm ueteres tum recentes, qui diuersum scribant, doceant, & defendant? PAN. Sed ij, ut uidetur, in tanto mysterio magis rationibus philosophicis quàm Theologicis utũtur. Ideò malo sequi quod oracula spiritus sancti, quæ sunt scripta Prophetica et Apostolica, credendum, quàm quod rationes humanæ sapientiæ intelligẽdum proponunt. ORO. Theologicis an Physicis rationibus utamur, & quæ hucusq; contulimus, et nostrorum libri testari possunt. De uestro autem figmento, rationibus & cogitatis iudicium si quis uelit facere, fundamenta & radices inquirere, nihil aliud tandem habebit quod proferat, nisi unam hypostaticã unionem, qua omnia mihi uideris confundere, cœlum cum inferno miscere, deitatem ex humanitate facere, nec ullũ propemodùm esse monstrum, quod non sit uestra ubiquitate concessa statim ab Ecclesia recipiendum. Quòd si uoluisses (quemadmodum præ te fers) credere atque agere tantùm

Propheticis & Apostolicis scriptis, uti spero, facilè di sceßissemus concordes. At longè aliter, atque prædices, te geßisti, ex uerbo Dei nihil fermè proferendo, sed ex Luthero tantummodò accepisti, quæ mecum es locutus, adiectis quibusdam rationibus partim probabilibus, partim sophisticis, unà cum aliquibus testimonijs Patrum, non tamen usque adeò crebris, eisq; uel uel tecum pugnantibus, uel à præsenti controuersia multum alienis.

Lutheri autem dictis, quæ sæpius in ore habes, & ubiuis contra nostram sententiam profundis, opponere nunc decreui Patrum ueterum quàm apertißima dicta, quæ senties uestrã ubiquitatẽ prorsus damnare.

Ruffinus uel Cyprianus.

Ruffinus in Symbolum, Ascendit ergo ad cœlos, non ubi Verbum Deus antè non fuerat, quippè qui erat semper in cœlis, & manebat in patre, sed ubi Verbum caro factum antè non sederat. Denique quia nouus iste ingressus portarum cœli ædituis & principibus uidebatur, uidentes naturam carnis secreta cœlorum penetrantem, dicunt ad inuicem, sicut Dauid plenus Spiritu sancto denuntiat, dicens, Tollite portas principes uestras, &c. Hæc ita perspicua sunt, ut non egeant expositione. Id tantùm addendum est, hæc dicta in multis codicibus Cypriano ascribi.

Caro ante ascensum, in cœlo nõ fuerat.

Augustinus in Ioannem tractatu 102. ad finem. Plane credimus (neque enim propterea debet incredibile uideri) quia sic ad mundum ueniens, exijt à Patre, ut non desereret Patrem, & sic uadit ad Patrem relicto mundo, ut non deserat mundum. Exijt enim à Patre, quia de Patre est: & in mundum uenit, quia mundo

ſum corpus oſtendit, quod de Virgine aſſumpſit. Reliquit mundum corporali diſceſſione, perrexit ad Patrem hominis aſcenſione, nec mundum deſeruit præſentiæ gubernatione, &c. Et Tractatu 106. Vnde manifeſtum eſt eum de corporali ſua dixiſſe præſentia, Cùm eſſem cum eis, ego ſeruabam eos, ueluti iam cum eis ea præſentia non eſſet. Eo modo enim ſignificare uoluit aſcenſionem ſuam mox futuram, de qua dixit, Nunc autem ad te uenio, iturus utique ad dexteram Patris. Vnde uenturus eſt ad uiuos & mortuos iudicandos, præſentia itidem corporali, ſecundum fidei regulam, ſanamq; doctrinam. Nam præſentia ſpirituali cum eis erat utique futurus poſt aſcenſionem ſuam, & cum tota Eccleſia ſua in hoc mundo uſque in conſummationē ſeculi. Non rectè itaq; intelliguntur de quibus dixerit, Cùm eſſem cū eis, ego ſeruabā illos, niſi hi quos in ſe credētes ſeruare iā cœperat præſentia corporali, & quos relicturus fuerat, abſentia corporali, ut eos cū Patre ſeruaret præſentia ſpiritali.

Corpore diſceſſit è mundo.

Præſentia ſpirituali nunc eſt nobiſcum.

Nos reliquit abſentia corporali.

Adhæc in Ioannem Tractatu 78. interpretans ea uerba, Non turbetur cor ueſtrum, neque formidet. Audiſtis quia dixi uobis, Vado & uenio ad uos, &c. Hinc ergo turbari & formidare poterat cor illorū, quòd ibat ab eis, quamuis uenturus ad eos, ne forſitan gregē lupus hoc interuallo inuaderet paſtoris abſentia. Sed à quibus homo abſcedebat, Deus non recedebat, & idem ipſe Chriſtus homo & Deus. Ergo & ibat per id quod homo erat, manebat per id quod Deus erat. Ibat per id quod uno loco erat, manebat per id quod ubiq; erat, etc. Et mox: Per quod ergò Filius non eſt æqualis

Homo abſcedebat non Deus.

Patri, per hoc iturus erat ad Patrem, à quo uenturus est uiuos iudicaturus & mortuos. Per illud autem in quo æqualis est gignenti unigenitus, nunquam ecce à Patre, sed cum illo est ubique totus, pari diuinitate, quam nullus continet locus.

Idem in Ioannẽ Tractatu 107. Restat igitur ut secundum id quod ipse etiam in mundo prius erat, in mundo se dixerit iam non esse. Profectò præsentia corporali, à mundo scilicet, absentiam suam iam citò futuram, illorum autem tardius, &c. Et mox: Quando ergo seruabat discipulos suos Filius præsentia corporali, non expectabat Pater ad custodiendum succedere Filio discedenti, sed eos ambo seruabant potentia spirituali, quando ab eis abstulit Filius præsentiam corporalem, tenuit cum patre custodiam spiritualem.

Absentia corporalis à mundo.

Præterea in Ioannẽ Tractatu 50. exponens dictum Christi, Me autem non semper habebitis, Accipiat, inquit, & hoc boni, sed non sint solliciti. Loquebatur enim de præsentia corporis sui. Nam secundum Maiestatem suam, secundũ prouidentiam, secundum ineffabilem & inuisibilem gratiam impletur quod ab eo dictum est, Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Secundum carnem uerò quam Verbum assumpsit, secundum id quod de Virgine natus est, secundũ id quod à Iudæis prehensus est, quod ligno confixus, quod de cruce depositus, quod linteis involutus, quod in sepulchro conditus, quod in resurrectione manifestatus, nõ semper habebitis me uobiscum. Quare? Quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, & eis deducẽ

Præsentiã corporis non semper habebitis.

ducentibus uidendo, sed non sequendo, Ascendit in cœlum & non est hîc. Ibi est enim, & sedet ad dexteram patris. Et hîc est: non enim recessit præsentia Maiestatis. Et aliter, Secundum præsentiam Maiestatis semper habemus Christum: secundum præsentiam carnis, rectè dictum est discipulis, Me autem non semper habebitis. Habuit enim illum Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non uidet, &c. Non est hîs

Item ad Dardanum scribit, Secundum hominem nanque in terra erat, non in cœlo ubi nunc est, quando dicebat, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo. Quamuis secundum id quo Filius Dei erat, esset in cœlo, secundum id uerò quod Filius hominis erat, adhuc esset in terra, nondumq; ascendisset in cœlum, &c. Et mox: Ac per hoc & Filius hominis secundum Deum erat in cœlo, & Filius Dei secundum hominem crucifigebatur in terra. Sicut ergo potuit rectè dici dominus gloriæ crucifixus, cùm ad solam carnem illa passio pertineret, ita rectè dici potuit, Hodie mecum eris in paradiso, cùm iuxta humanam humilitatem per carnem in sepulchro, per animam in inferno illo die futurus esset, iuxta diuinam uerò immutabilitatem nunquã de paradiso, quia ubique est semper, recessit. Noli itaque dubitare, ibi nunc esse hominem Christum Iesum, unde uenturus est: memoriterq; recole, & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris, nec aliunde, quàm inde uenturus est ad uiuos mortuosq; iudicandos. Et sic uenturus est illa angelica uoce Secundum hominem in terra nõ in cœlo.

teſtante, Quemadmodum ire uiſus eſt in cœlum, id eſt in eadem carnis forma atque ſubſtantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturã non abſtulit. Secundum hanc formam non eſt putandus ubiq; diffuſus. Cauendum eſt enim, ne ita diuinitatem aſtruamus hominis, ut ueritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens ut quod in Deo eſt, ita ſit ubiq; ut Deus. Nam & de nobis ueraciſſima ſcriptura dicit, quod in illo uiuimus, mouemur & ſumus, nec tamen ſicut ille ubiq; ſumus. Sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine proprio quodam & ſingulari modo. Vna enim perſona Deus & homo eſt, & utrunq; eſt unus Chriſtus Ieſus, ubiq; per id quod Deus eſt, in cœlo autem per id quod homo, &c.

Secundum naturam humanam non eſt ubiq;.

Quod eſt in Deo non eſt ubiq; ut Deus.

Humanitas Chriſti in cœlo.

Deinde in Ioan. Tract. 30. & habetur de Conſecr. diſtinct. 2. Can. Prima quidem, &c. Surſum eſt Dominus, ſed etiam hic eſt Veritas Dominus. Corpus enim Domini in quo ſurrexit, in uno loco eſſe oportet, Veritas autem eius ubiq; diffuſa eſt.

Corpus Chriſti in uno loco eſſe oportet.

Et in Epiſt. Ioannis ad finem, Dominus ergò noſter Ieſus Chriſtus ideò aſcendit in cœlum die quadrageſima, & commendauit corpus ſuum, qua habebat iacere, quia uidit multos honoraturos ſe quia aſcendit in cœlum. Et uidit, quia honor illorum inutilis eſt, ſi conculcant membra eius in terra. Et ne quis erraret, & cùm adoraret caput in cœlo, calcaret pedes in terra, Aſcenſurum caput in cœlum commendauit membra in terra, & diſceſſit. Iam non inuenis Chriſtum qui in terra, inuenis eum loqui, ſed in cœlo, & de ipſo cœlo. Quare? Quia membra calcabantur in terra.

Corpus Chriſti in cœlo eſt & inde loquitur, non in terra.

Per

Persecutori enim Paulo dixit, Saule, Saule, quid me persequeris? Ascendi in cœlum, sed adhuc in terra iaceo. Hic ad dexteram Patris sedeo: ibi esurio, sitio, peregrinus sum. Quomodo ergo corpus commendauit in terra ascensurus? Cùm interrogarent eum discipuli, Domine an in hoc tempore præsentaberis? Et quando regnum Israelis restitues? Respondit, Iturus. Non est uestrum scire tempus quod pater posuit in sua potestate. Sed accipietis uirtutem spiritus sancti superuenientem in uos, & eritis mihi testes, &c. Videte qua diffundat corpus suum. Videte ubi calcari non uult. Eritis mihi testes in Ierusalem, tota Iudæa & Samaria usq; in totam terrã. Ecce qua iaceo, qui ascendo. Ascendo enim quia caput sum. Iacet adhuc corpus meum. Qua iacet? Per totam terram.

Quali corpore adhuc in terra uersetur.

Etiam ad Dardanum quæstionem sibi propositam soluens, ait: Est autem sensus multò expeditior, & ab his omnibus ambiguitatibus liber, si non secundum id quod homo erat, sed secundum id quod Deus erat dixisse accipiatur, Hodie mecum eris in paradiso. Homo quippè Christus illo die secundũ carnem in sepulchro, secundum animam in inferno futurus erat. Deus uerò idem ipse Christus ubiq; semper est.

Adhuc in Epist. ad Dardanum, quæ est 57. Si ergò secundum hominem, quem Deus Verbum suscepit, putamus dictum esse, Hodie mecum eris in paradiso, non ex his uerbis in cœlo existimandus est esse paradisus. Neq; enim ipso die in cœlo futurus erat, homo Christus Iesus, sed in inferno secundum animam, in sepulchro autem secundum carnem, &c.

Homo Christus Iesus non erat eo die futurus in cœlo.

*Auguſt. in Ioan. Tract. 78. Sed hoc erat ire ad eū, & recedere à nobis, mutare atq; immortale facere, quod mortale ſuſcepit ex nobis, & leuare in cœlum, per quod fuit in terra pro nobis, &c.*

Cyrillus.

*Cyrillus in Ioan. lib. 11. cap. 21. Putabant enim diſcipuli abſentiam Chriſti, ut hominis dico, (Deus enim ubiq; adeſt) multorum eis incommodorum cauſam futuram, cum non adeſſet qui eos poſſet ab omnibus malis eruere. Sed oportebat (dicam enim etiam) ſi luminaria orbis poſteà facti ſunt, non ſolum in carnem Chriſti, uerumetiam in deitatem reſpicere: quæ quamuis oculis non cernatur, adeſt tamen ſemper ſummæ cū poteſtate, nec quicquā eſt quod prohibere poſſit, quin omnia repleat, & quod uelit peragat. Non enim loco aut dimēſionibus circumſcriptibilis natura diuina eſt. Quare cum Deus & homo Chriſtus uerè ſit, oportuit eos intellexiſſe ineffabili Dei poteſtate unà cum eis ſemper futurū, etiamſi carne abeſſet. Idcircò enim ipſe quoq; in ſuperioribus dicebat: Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi, apertè ſignificans deitatis ratione non carnis præſentia eos poſſe ſeruari, &c. Hic tu mihi conſyderes, idcircò ſtatui diuinitatem eſſe poſſe ubiq;, quod loco & dimenſionibus non ſit circumſcriptibilis. Ergò concluditur è diuerſo, carnem Chriſti ſeu corpus eius non eſſe ubiq;, quod loco & dimenſionibus circumſcribatur.*

Carne abeſſe rat.

Carnis præſentia nō eſt neceſſaria ad noſtram ſalutem.

*Idem lib. 9. in Ioan. cap. 21. Credere autem oportet fideles, quamuis à nobis corpore abſit, uirtute tamen ſua & nos gubernari, adeſſeq; ſemper ipſum omnibus qui eum diligunt. Propterea dicebat, Amen amē dico*

Corpore à nobis abeſt

dico uobis, Vbicunq; sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Nam quemadmodum quando ut homo in terra conuersabatur, tunc etiam cœlos implebat, & angelorum consortia non relinquebat. Eodem nunc modo cùm sit in cœlis cum carne, terram tamen replet, & cum eis est qui eum diligunt. Obseruandum autem est, quia quamuis secundum carnem solùmodò abiturus erat (adest enim semper uirtute deitatis, ut diximus) modico tamen tempore cum discipulis se futurũ dicebat, aperte seipsum nominans, ne quis in duos filios diuidere Christum audeat, &c. Et mox idem, cap. 22. eiusdem libri. Obseruandum autem, quia Iudæis quidem dixit, Quæretis me & non inuenietis: ad discipulos autem hoc uerbo usus non est. Iudæis enim apte accommodatur, qui nimia incredulitate impietateq; maxima ipsum inuenturi nec erant, nec sunt. A discipulis autem, qui toto animo Christum diligebant & diligunt omninò alienum, quibuscum etsi non corpore, uirtute tamen deitatis unà semper & fuit & futurus est, &c.

Secundum carnem abijt.

Non corpore sed deitate adest.

Etiam super Ioan. lib. 11. cap. 3. Nam etsi abest corpore patri pro nobis apparens, ac à dextris eius sedens, habitat tamen in sanctis per spiritum, neq; patitur (ut dixi) illos orphanos esse. Et in eodem libro cap. 22. scribit: Nihil ergò mali accidere uobis potest, ait, si carne abfuero, cùm deitatis meæ potestas, quæ uos hucusq; seruauit, in posterum etiam seruatura sit, &c. Et mox: Cùm igitur deitati seruatio attribuatur, non debetis, inquit, carnis præsentiam propter hoc desyderare, &c. Et mox: Hoc enim solum

Abest corpore, per spiritum adest.

Carne abest, deitate adest.

Carnis præsentia nõ est desyderãda

modò pacto etiam carne absens seruare suos poterit, &c. Et cap. 3. eiusdem libri ab initio: Post enim illam, scilicet passionem, in cœlum ascendens, spiritum immisit: non enim conuersari cum Apostolis carne poterat, cùm ad Patrem ascenderit.

Non poterat carne uersari cũ Apostolis.

Adhæc de Trinitate lib. 6. Vnde dicebat Filius, Non relinquam uos orphanos, uenio ad uos. Postquàm autem ascendit ad patrem, & ex mortuis reuixit, in nobis est per spiritum: proprius enim ipsius est, & non extrinsecus susceptus spiritus eius, sicut scilicet & hominis humanus.

Christus in nobis est per spiritũ.

Vigilius. Vigilius contra Eutychen lib. 1. Expedit uobis ut ego eam: si enim ego nõ abiero, Paracletus ad uos non ueniet. Et certè Verbũ Dei, uirtus Dei, sapientia Dei, semper apud Patrem & in patre fuit, etiam quando in nobis nobiscum fuit. Neque enim cum terrena misericorditer incoluit, de cœlesti habitatione recessit. Cũ Patre enim ubique est totus, pari diuinitate, quem nullus continet locus. Plena sunt quippè omnia Filio, nec est aliquis locus diuinitatis eius præsentia uacuus. Vide ergo, & quò se iturum dicit, aut quomodo se ad patrem perrecturum asserit, à quo sine dubio nunquam recessit? Sed hoc erat ire ad Patrem, & recedere à nobis, auferre de hoc mundo naturam quam susceperat ex nobis. Vides ergo eidem naturæ propriũ fuisse, ut auferretur & abiret à nobis, quæ in fine temporum reddenda est nobis secundum attestantium uocem angelorum, Hic Iesus qui receptus est à uobis, sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum. Nam uide miraculum, uide utriusque proprietatis mysterium. Dei

Abstulit de mundo naturam humanam.

rium. Dei Filius secundum humanitatem suam recessit à nobis, secundum diuinitatem suam ait nobis: Ecce ego nobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi: si nobiscum est, quomodo ait, Venient dies, quando desideretis Filium hominis, & non uidebitis? Sed & nobiscum est, & non est nobiscum: quia quos reliquit, & à quibus discessit humanitate sua, non reliquit neque deseruit diuinitate sua. Per formam enim serui, quam abstulit à nobis in cœlum, absens est nobis: per formam Dei, quæ non recedit à nobis in terris, præsens est nobis. Tamen præsens & absens ipse unus idemq; est nobis.

Secundum humanitatem recessit.

Nos reliquit & discessit humanitate.

Etiam lib. 2. contra Eutychen, Constat Dominum nostrum Iesum Christum feria sexta crucifixum & & ipsa die ad infernum descendisse, ipsa die in sepulchro iacuisse, ipsa die latroni dixisse, Hodie mecum eris in paradiso. Caro igitur ipso die non fuit in paradiso nec in inferno, sed exanimis iacuit in sepulchro. Anima per illud triduum in inferno, non in sepulchro. Et iure tamen dicimus, dominum Iesum Christum in sepulchro iacuisse, sed in sola carne, Dominum Iesum Christum non derelictum in inferno, sed in sola anima, &c. Colligamus hinc nec animũ nec corpus Christi fuisse ubique, quamuis hypostaticè coniuncta fuerint cum Verbo. Et mox: Ergo dicimus dominum iacuisse in sepulchro, sed in sola carne, & Dominum descendisse in infernum, sed in sola anima. Et sicuti dicimus hominem audiuisse uocem, sed solis auribus, & uidisse lumen, sed solis oculis, sic dicimus dominum passum, sed in sola carne, & dominum non passum, sed in

Caro die mortis non fuit in paradiso.

Pulchrum simile.

sola diuinitate. Ac per hoc, quia et Deus unus est Christus, & passus est, secundum id quod homo, & impassibilis manſit, ſecundum id quod Deus.

Verbum ubique, caro non ubique.

Præterea lib. 4. contra Eutychen. Deinde ſi Verbi & Carnis una natura eſt, quomodo cùm Verbum ubique ſit, non ubique inueniatur & caro? Nanque quando in terra fuit, non erat utique in cœlo. Et nunc quia in cœlo eſt, non eſt utique in terra. Et in tantum non eſt, ut ſecundum ipſum Chriſtum ſpectemus neque de cœlo, quem ſecundum Verbum nobiſcum eſſe credimus in terra. Igitur ſecundum uos, aut Verbum cum carne ſua loco cõtinetur, aut Caro cum Verbo utique eſt: quando una natura contrarium quid et diuerſum non recipit in ſeipſa. Diuerſum eſt autem & longè diſſimile circumſcribi loco & ubique eſſe.

Quando erat in terra non erat in cœlo, & quando eſt in cœlo nõ eſt in terra.

Vna natura contrarium & diuerſum nõ recipit.

Et quia Verbum ubique, Caro autem eius ubique non eſt, apparet unum eundemq; Chriſtum utriuſque eſſe naturæ, & eſſe quidem ubique ſecundum naturam diuinitatis ſuæ, & loco contineri ſecundum naturam humanitatis ſuæ. Creatum eſſe & initium non habere, morti ſubiacere & mori non poſſe: quod unum illis eſt ex natura Verbi qua Deus eſt, aliud ex natura carnis, qua idem Deus homo eſt. Igitur unus Dei filius, idemq; hominis factus filius habet initium ex natura carnis ſuæ, & non habet initium ex natura diuinitatis ſuæ. Creatus eſt per naturam carnis ſuæ, & non creatus eſt per naturam diuinitatis ſuæ. Circumſcribitur loco per naturam carnis ſuæ, & loco non capitur, per naturam diuinitatis ſuæ. Minor eſt etiam angelis per naturam carnis ſuæ & æqualis eſt patri ſecun-

dum

dum naturam diuinitatis suæ. Et mortuus est natura carnis suæ, & non est mortuus natura diuinitatis suæ. Hæc est fides & confessio catholica, quam Apostoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles nunc usque custodiunt.

Hæc est fides & confessio catholica.

Atq; in Disput. inter Sabellium, Photinum, Arium & Athanasiũ: Eius est enim ire & uenire, qui aliquibus locorũ terminis circũscribitur, ut eũ in quo erat desereret locũ, ad aliũ ubi nõ erat, ueniat, nisi quia utique de illo quẽ assumpserat homine loquebatur, quod ipse erat iturus ad patrẽ, à quo & uenturus est iudicare uiuos et mortuos, &c. Et mox in eadẽ Disputatiõe: Non ergo inquam unius naturæ est, præsepis gremio contineri & astrorum indicijs prodi, hominibus subijci, & ab angelis ministrari, de loco ad locum fugere, & ubique præsentiam sui exhibere, terram incolere, & cœlestia non deserere, tentari à diabolo, & eius in abyssum mittere legiones, &c.

Fulgentius ad Thrasimundum regem lib. 2. Filius ergo Dei tam authoritate diuina, quam sanctorum Patrum fideli ueraciq; sententia secundum diuinam naturam infinitus immensusq; probatur ubique præsens, omnia replens, testis nunc cogitationum & operum, futurus iudex retributorq; cunctorum. Quia uerò idem Filius Dei uerus Deus natus de Deo patre, uerus homo factus est pro nobis ex homine: factus est enim ex semine Dauid secundum carnem, diuinæ humanæq; naturæ in se continens ueritatem: quæ fuerunt ueræ diuinitatis non amisit, & quæ sunt ueræ humanitatis accepit. Vnus idemq; secundum carnem de matre tem

Fulgẽtius.

poraliter natus, qui ſecundum diuinitatem de Pa-
Homo localis ex homine. permanet ſempiternus. Vnus idemq; homo localis ex homine, qui eſt Deus immenſus ex patre. Vnus idemq; ſecundum humanam ſubſtantiam abſens cœlo cum eſſet in terra, & derelinquens terram cùm aſcendiſſet in cœlum. Secundum diuinam uerò immenſamq; ſubſtantiam, nec cœlum dimittens cùm de cœlo deſcendit, nec terram deſerens cùm ad cœlum aſcendit. Quod ipſius Domini certißimo poteſt cognoſci ſermone, qui ut localem oſtenderet humanitatem ſuam, dixit diſcipulis ſuis, Aſcendo ad Patrem meum, & ad patrem uſtrum, Deum meum & Deum uestrum. De Lazaro quoq; cùm dixiſſet, Lazarus mortuus eſt, adiunxit, & cens: Et gaudeo propter uos ut credatis, quoniam non eram ibi. Immenſitatem uerò ſuæ diuinitatis oſtendit diſcipulis dicit: Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſeculi. Quomodo autem aſcendit in cœlum, niſi quia localis & uerus eſt homo? Aut quomodo adeſt fidelibus ſuis, niſi quia idem immenſus & uerus eſt Deus? &c.

Fuit abſens cœlo, nunc reliquit terram.

Humanitas localis.

Localis & uerus eſt homo.

Caro Chriſti localis. Idem ad Thraſimundū lib. 2. Cùm ergò caro Chriſti localis abſq; dubio in aſcenſione monſtraretur, & diuinitas tamen eius ubiq; ſemper eſſe Paulo teſtante cognoſcitur, qui fidelibus dicit, An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? Quomodo autem in eo loqui potuit, ſi in illo non fuit? Vel quomodo corporaliter aſcendit in cœlum & in ſuis fidelibus eſt prædicatur in terra, ſi non eſt in illo diuinitatis immenſitas, quæ cœlum implere poßit & terram? &c.

Ibi

Rursus ad Thrasimundum lib. 3. Humanitas ergò uera Filij Dei nec tota in sepulchro fuit, nec tota in inferno, sed in sepulchro secũdum ueram carnem Christus mortuus iacuit, et secundum animam ad infernum Christus descendit. Secundum eandem animam ab inferno ad carnem, quam in sepulchro reliquerat, redijt. Secundum diuinitatem uerò suam, quæ nec loco tenetur, nec fine concluditur, totus fuit in sepulchro cum carne, totus in inferno cum anima, ac per hoc plenus fuit ubiq; Christus. Quia non est Deus ab humanitate, quam susceperat, separatus, qui & in anima sua fuit, ut solutis inferni doloribus ab inferno uictrix rediret. Et in carne sua fuit, ut celeri resurrectione corrumpi non posset, &c. Hic spectes deitatem fuisse in inferno cum anima, nec ibi secum habuisse corpus. Quare non est uerum quod semper usurpas, Vbicunq; est hypostasis Christi, ibi etiam corpus eius esse.

Leo. 2. Orat. de Ascensu Domini, Vt igitur huius beatitudinis dilectissimi capaces esse possemus, expletis omnibus quæ Euangelicæ prædicationi & noui Testamenti mysterijs congruebant, Dominus noster Iesus Christus quadragesimo post resurrectionem die coram discipulis eleuatus in cœlum, corporali præsentiæ suæ modum fecit, mansurus in patris dextera, donec tempora multiplicandis Ecclesiæ filijs diuinitus præstituta peragantur, & ad iudicãdos uiuos & mortuos in eadem carne, in qua ascendit, aduenia[t], &c. Colligitur ex ijs corporalem humanitatis Christi præsentiam in terris, ab ascensu in cœlum desijsse, nec exspectandam esse amplius usq; ad iudicij extremi diem. Leo.

Tandem Philippus Melanchthon his ueteribus Patribus meritò coniungetur, quia ætate solùm illis est inferior, eruditione uerò ac pietate nõ item. Sed recte non tantùm cum illis, sed etiam cum D. Martino Luthero, quem tu præ cæteris unum admiraris, conferri potest: nam illum sanctitate, scriptis, ac doctrina, & scholasticis laboribus adæquauit saltem, si non uicit. Possem & nostrorũ uirorũ tã doctas quàm pias afferre sententias Zuinglij scilicet ac Oecolampadij, et eorum qui etiam nunc sunt superstites, de quorum ornamentis et excellentia in præsentia nihil attinet dicere, quia tuis auribus parcere statui. Nam ita soles ad istorum sanctorum nomina commoueri, ut cacodæmonem potius nominari feras, quàm istorum nomina, quamuis præclarissimorum uirorum, commemorari patiaris.

Philippum autem fastidire non potes. Fuit enim ille uestri decreti quo ad rem sacramentariam propugnator nõ infimus. At ueritate denique uictus, quo fuit candore, profiteri nõ erubuit, quid sentiret de uestra ubiquitate. Primum itaq; referam, quidnã de Ascensione Christi, & loco eius, in Epistolam ad Colossenses tradiderit. In cap. 3. ita scripsit, De dicto, Ascendit in cælum. Quomodo hæc congruunt? Alibi dicitur, Filius qui est in sinu patris, &c. Itẽ Iohannis 3. Filius hominis qui est in cœlo. Respondeo. In symbolo intelligatur dictum, ut sonat litera, & de corpore, & de corporali locatione. Ascendit scilicet corporali & physica locatione, in cœlum, id est in locum cœlestem, ubicunq; est: quia hic non sunt fingẽdæ Allegoriæ. Ascensio fuit uisibilis & corporalis. Et semper ita scripsit tota antiquitas

tiquitas, Christum corporali locatione in aliquo loco esse, ubicunq; uult, & ascensio corporalis facta est sursum. Ideò Paulus in hoc capite locum illum nominat sursum. At in propositione, Filius qui est in cœlo, dictū intelligatur communicatione idiomatum. Λόγος semper est in cœlo, etiam si corporali locatione corpus est in uirgine. Hæc narratio expressa est in enarratione symboli quæ legitur in libris Cypriani, & si alibi inscriptio est, Enarratio Ruffini, Ascendit ad cœlos, non ubi Verbum Deus antea non fuerat, (quippe qui erat semper in cœlo, & manebat cum patre) sed ubi uerbum caro factum antea non sedebat, id est ubi corpus antea non habuerat corporalem locationem. Sic Augustinus loquitur, & citantur uerba in Longobardo libro 3. dist. 22. Non dimisit patrem Christus cum uenit infirmior, ubiq; totus, ubiq; perfectus. Deinde additur forma sermonis. Vbiq; totus est sed non totum. Alij concinnius loquuti sunt. Propositio uera est in communicatione idiomatum, Christus ubiq; est. Athanasius sic loquitur De incarnatione Verbi. Λόγος non colligatus est corpori, sed ipse corpus continet, ut & in eo sit & extra omnia, & in sinu patris, neque cùm sit in omnibus, sit pars aliorum, sed omnia uitam, substentationemq; ab ipso accipiunt. Vt autem de locali ascensione naturæ humanæ dictum est, Ascendit ad cœlos: ita de exaltatione naturæ humanæ super omnes creaturas dictum est, Sedet ad dexteram patris, ut Paulus hic inquit, Vbi est ad dexteram Dei sedens. Ait Christum sursum esse, & quidem ad dexteram Dei, id est non ut beati angeli, et homines sursum sint,

Sed exaltatus supra angelos in illa arcana luce Dei re
gnans, & tamen corpus localiter alicubi est secun-
dum ueri corporis modum, ut Augustinus inquit. Et
Et hæ propositiones, Christus in uobis est, Ego in eis.
Veniemus ad eum, & mansionem apud eum facie-
mus, &c. intelligantur communicatione idiomatum.
Et de hac præsentia filij, in prædicatione euangelij, et
in sanctis, necesse est Ecclesiam fideliter erudiri, ut a-
gnoscamus dominum nostrum Iesum Christum adesse
ecclesiæ, & esse caput, omnia in omnibus perficiens.

Hæc Philippus Melanchthon doctè, sapienter &
piè scripsit, & inter cætera prorsus reiecit allegori-
cum cœlum. PAN. Multo consultius ea tacuisset.
Non enim hoc decreto seu dogmate statuendo, ea de-
fendere potuit de Sacramento Cœnæ, quæ uisus est hu
ctenus egregie tueri. ORO. Quid olim uir mul
tis modis eximius de corporis & sanguinis Christi
præsentia in cœna senserit, non est quod modò inter
nos commentemur, sed nunc tibi expendenda offe-
ram, quæ postremo tempore suæ uitæ hac de re ad illu
striß. principem comitē Palatinum, sacri Romani Im-
perij Electorem scripsit, uirum cum primis, omnium
piorum testimonio, factum cum ad Ecclesiæ tum ad
Reipublicæ salutem. Ea uerò ad hunc modum habent.

ILLVSTRISSIMO PRIN-
cipi & Domino, Domino Friderico, Co
miti Palatino Rheni, Electori, Duci Ba
uariæ, &c. Dño suo clementiß. S. D.

ILLVSTRISS. & Clementiß. Princeps.
Certißimum est legitima imperia uerè opus Dei ess
clemen-

clementer conseruantis honestam societatem generis humani. Ideò uerum DEVM æternum patrem Domini nostri IESV CHRISTI, creatorem generis humani, colligentem æternam Ecclesiam uoce Euangelij, toto pectore oro, ut Cel. uestræ confirmet uires animæ & corporis, & tribuat salutaria consilia, & felicem gubernationem. Gaudeo etiam Principem & Dominum patriæ meæ uocatum esse ad agnitionem filij DEI, & rectè inuocare DEVM, & fouere Ecclesiam CHRISTI: quem oro ut uniuersam familiam Principum Palatinorum gubernet & protegat, nec sinat fieri barbaricam uastitatem in patria mea. Literas Cel. V. reuerenter legi, & uirum integerrimum Stephanum, audiui: ac mitto Celsit. V. scriptam Responsionem, ac maximè opto, ut teneræ Ecclesiæ ubiq; tranquillæ sint. quam ad rem proderit, si non sinent gubernatores defendi contrarias sententias. Probo igitur consilium Celsit. V. quòd utrique parti silentium mandarit. Opto autem ut sapientum Principum consilio & autoritate aliquando, & ex aliarum gentium Ecclesijs, & nostris, pij & eruditi uiri conuocentur, ut de omnibus controuersijs deliberetur, & una consentiens forma doctrinæ uera & perspicua sine ulla ambiguitate posteritati tradatur. Interea quantum fieri potest, moderatis consilijs coniunctionem nostrarū Ecclesiarum foueamus. Bene & feliciter ualeat Celsit. V. Cal. Nouemb. Anno 1559.

Celsitudinis V.

Seruus Philippus Melanchthon.

RESPONSIO.

NON difficile, sed periculosum est respondere. Dicam tamen quæ nunc de controuersia illius loci tenere possim, & oro filium Dei, ut & consilia et euentus gubernet. Non dubium est de controuersia Cœnæ ingentia certamina & bella in toto orbe terrarum futura esse. quia mundus dat pœnas idololatriæ, & aliorum peccatorum. Ideo petamus ut filius Dei nos doceat & gubernet. Cum autem ubique multi sint infirmi et nondũ instituti in doctrina Ecclesiæ, imò confirmati in erroribus, necesse est initiò habere rationem infirmorum. Probo igitur consilium Illustrissimi Electoris, quòd rixantibus utrinque mandauit silentium, ne distractio fiat in tenera Ecclesia, & infirmi turbentur in illo loco & uicinia. & optarim rixatores in utraque parte abesse. Secundò remotis contentiosis, prodest reliquos de una forma uerborum conuenire. Et in hac controuersia optimum esset retinere uerba Pauli: Panis quem frangimus κοινωνία τοῦ σώματος. Et copiosè de fructu Cœnæ dicendum est, ut inuitentur homines ad amorem huius pignoris, & crebrum usum. Et uocabulum κοινωνίας declarandum est. Non dicit mutari naturam panis, ut Papistæ dicunt. Non dicit ut Bremenses, Panẽ esse substantiale corpus CHRISTI. Non dicit ut Heshusius, Panem esse uerum corpus CHRISTI: sed esse κοινωνίαν: id est, hoc quo fit consociatio cum corpore CHRISTI, quæ fit in usu, & quidem non sine cogitatione: ut cum manducet panem rodunt. Acerrimè pugnant Papistæ & eorum similes, ut dicatur corpus CHRISTI extra sumptionem

nem inclusum esse speciebus panis, aut pani: & postulant adorationem, sicut Morlinus Brunsuigæ dixit, Du můst nicht sagen/Mum/mum/sonder du můst sagen was dises ist das der priester in der hand hat. Sarcerius iubet delapsas particulas colligi, & erasa terra cõburi. Cũ Vuormatiæ essemus ante biennium, quæstio ad nos mittebatur ex aula quadam: An corpus CHRISTI descendat in uentrẽ. Talibus prodigiosis quæstionibus reiectis, utilius est retineri formã uerborum Pauli, & de fructu rectè doceri homines. Potest inspici forma uerborũ Cœnæ in Examine Megalburgensi: ubi & cõmonefactio est de fructu Cœnæ. Adest filius Dei in ministerio Euangelij, et ibi certò est efficax in credentibus. ac adest non propter panem, sed propter hominem. sicut inquit, Manete in me, & ego in uobis. Item, Ego sum in patre meo, & uos in me, & ego in uobis. Et in his ueris consolationibus, facit nos sibi membra, & testatur se corpora nostra uiuificaturum esse. Sic declarant ueteres cœnam Domini. Sed hanc ueram & simplicem doctrinam de fructu, nominant quidam cothurnos: & postulant dici, an sit corpus in pane. aut speciebus panis. quasi uerò Sacramentum propter panem, & illam Papisticam adorationem institutum sit. Posteà fingunt quomodo includant panem. alij conuersionem, alij transsubstantiationem, alij ubiquitatem excogitarunt. Hæc portentosa omnia ignota sunt eruditæ uetustati.

Negat Heshusius se assentiri Origeni, qui nominat panem & uinum σύμβολα τῆ σώματος καὶ αἵματος. Reijcit contumelioſè Clementem Alexandrinum. Pronuncia

bit eodem modo de Augustino, Ambrosio, Prospero, Dionysio, Tertulliano, Beda, Basilio, Nazianzeno, qui nominat ἀντίτυπον σῶμα: Theodoreto, qui ait de Pane, φύσιν ἐ μεταβαλών. Quæ est igitur tanta auctoritas Hesbusij, ut ipsi potius assentiamur, quàm tot probatis ueteribus scriptoribus, qui perspicuè testantur tunc Ecclesiam non habuisse Pontificium dogma, & adorationem: quæ si noua sunt in Ecclesia, cogitandum est an recentioribus licuerit nouum dogma inuehere in Ecclesiam. Nec ego ignoro, multa citari notha ueterum titulis, de quibus eruditi iudicent.

Nec uerò iam institui longam disputationem: nec cum contentiosis, qui idola & parricidia stabiliunt, disputare uolo: quorum sæuitiam & ego experior. Sed tantùm pro meo iudicio significare uolui, quid in illo loco pro infirmitate teneræ Ecclesiæ faciendum esse existimem. ac maneo in hac sententia, contentiones utrinq; prohibendas esse, & forma uerborum una & simili utendum esse. Si quibus hæc non placent, nec uolunt ad communionem accedere, his permittatur ut suo iudicio utantur, modò non faciant distractiones in populo. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, sedentem ad dextram æterni patris, & colligentem æternam Ecclesiam uoce Euãgelij, ut nos doceat, gubernet, & protegat. Opto etiam ut aliquando in pia Synodo de omnibus controuersijs horũ temporum deliberetur.

Ex autographo.

PAN. Satis audiui quot et qualia dicta cum ex Patribus tum ex Melanchthone corrasisti ad confirmandum

mundam ſententiam, quam tueris, nimirum corpus Chriſti ſic eſſe in cœlo, ut non amplius nobiſcum uerſetur in terris: ad ſalutem uerò noſtram id ſufficere, ut nunc & gratia & ſpiritu eius regamur, & gubernemur, qui nos quo ad ſuam diuinitatem nunquam deſerit. ORO. Quid ergò reſtat quo minus tam orthodoxæ, facili, planæq; ſententiæ præbeas aſſenſum? certè illam (ut audiuiſti) permulti Patres non tam uetuſtate ac doctrina celebres, quàm ſanctitate inſignes, nec non recentes, & approbarunt, & docuerunt.

PAN. Mihi Lutherus iſtis omnibus præſtat. Sed tu ne putes iam utcunq; debellatum. Reſtant quippe adhuc aliæ quædam rationes, quas nondum effudi. Vt autem & illas excutias, nunc tibi eas proponere ſtatui.

ORO. Audiam.

PAN. Lux etſi creatura eſt, ut liber Geneſeos atteſtatur, nihilominus ea ſimul & eodem tempore in multis locis eſt, atq; uno momento Sole Oriente uniuerſum orbem ſuo ſplẽdore implet. Res tam clara eſt, ut ei uel ſenſus teſtimonium perhibeãt. Quæ (malum) igitur tanta eſt ueſtrorum hominum peruicacia, ut quod luci, quæ creatura eſt, datum cernimus, corpori Chriſti pergatis negare, quod naturã diuinam ſecum hypoſtaticè unitam habet? ORO. Si ratio tua eſſet alicuius roboris, efficeret hãc lucem aſpectabilem, angelis præſtantiorem eſſe. Illis enim conuenire non poteſt, ut ſuperius uidimus, eſſe ubiq;, aut ſimul eodemq; tempore in multis locis, quod tamen (quemadmodum ais) luci conceſſum eſt. Quis autem compos mentis hanc lucem dignitate ac excellentia præferret

An lux eodem tempore ac ſimul ſit in diuerſis locis.

Reſpondetur ad argumentum de luce.

angelis? Quare nihil imminuitur aut derogatur de corporis Christi dignitate, si non sit aut in multis locis, aut ubiq;, ut externa lux quam oculis cernimus. Ea enim potest esse, quemadmodum reuera est, & nobilius & præclarius, licet sit locale, et alicubi cum maxima gloria contineatur. Deinde in allata comparatione abs te non leuiter peccatur, cùm illa quæ inter se cõfers ad idẽ genus minimè pertineãt. Corpus quippe Christi substantia est, & quidẽ corporea. At lux neq; substantia est, neq; corpus, sed in genere qualitatis cõprehenditur, & subiectum habet aut corpus ipsum lucidum, aut corpus perspicuum, quod Græci uocant διάφανον. Illam uerò corpus non esse id testatur, quòd simul in eodem loco est cum aere quem illustrat. non autem fieri potest, ut duo corpora sint eodem loco. Deinde si lux aut lumen essent corpus, illustratio esset motus localis huiusmodi corporis. At nullus motus localis cuiusuis corporis, momento fieri potest, sed oportet ut suam habeat successionem seu continuationem, & antea pertingat medium, quàm ad extremum perueniat. Solem uerò neminem latet è uestigio, ut est in puncto Horizontis, totum nostrum hemisphærium illustrare, usq; ad punctum sibi oppositum. Vt itaq; Calor est qualitas efficax & agens, quæ consequitur formam & naturam ignis: Ita Lux est qualitas agens & efficax, quæ consequitur formam seu naturam Solis, uel cuiusuis corporis, quod ex se splendeat.

Lux nõ est corpus.

Quid sit lux.

Augustinus

PAN. Tamen Augustinus de anima & eius origine, ad Vincentium Victorem, libro 4. cap. 12. ait. Si autem corpus est quicquid maioribus & minoribus suis

ſuis partibus maiora & minora ſpacia locorum obtinentibus conſtat, corpora ſunt etiam iſta quæ cõmemorauí, Corpus eſt aer, corpus eſt lux iſta uiſibilis, &c.

ORO. Eo in loco uocabulo lucis aſpectabilis non intellexit ipſam qualitatẽ puram, ſed eius illuſtratum ſubiectum, in quo hæret. Sed te miror uehementer quũ mihi hunc Auguſtini locum produxeris, ubi definiens corpus, locum in eius definitione poſuit, indicans eum eſſe illi rem tam neceſſariam, ut eo carere non poſſit. Sed redeo ad lucem, quã etiam potes inde cognoſcere non eſſe corpus neq; ſubſtantiam, quod ſit ſenſus, id eſt ipſius uiſus obiectum: ea quippe noſtri oculi feriũtur. Neminem uerò latere arbitror, ſenſus non à ſubſtantia corporea moueri, ſed ab eius accidentibus. Auditus enim percipit ſonos, olfactus odores, guſtus ſapores, tactus item circa ſuas qualitates uerſatur, Quocirca & lux, quam unà cum coloribus oculi ſuauiter intuentur, qualitas eſt, non ſubſtantia, neq; corpus. Vnde non recte cõfertur abs te cum corpore atq; carne Chriſti, quæ ut ad aliud genus pertinent, ita diuerſas habent proprietates, neq; lucis qualitatibus afficiuntur. Deinde alia eſt res, in qua non leuiter deciperis. Arbitraris quippe lucem, quam dixi, eſſe qualitatem, ſimul eodemq; tempore in multis locis eſſe. Quod procul dubio non ita ſe habet: quia unum idemq; numero accidens una eademq; forma, ſeu perfectio, non eſt in diuerſis ſubiectis. Calor enim qui eſt in aqua, non eſt idẽ numero cum illo qui eſt in ferro: quiq; in ferro hæret, non eſt idem numero cum illo quo adficitur lignum. Accidentia cùm per ſe non exiſtant, non etiam per ſe

Lux eadem numero nõ eſt eodem tempore in multis locis

numerantur, sed iuxta numerum subiectorum suorum discernuntur. Quare non est eadem numero lux quæ aerem Orientalem illustrat, cum illa quæ afficit Occidentalem. Et si diuersus est aer Aquilonaris ab Australi, distincta etiam est lux illorum, nec potest eadem esse numero, utq; aer domus est diuisus ab aere horti, ita lux quæ domum illuminat, alia est qualitas numero, ab ea quæ in horto cernitur. Non ergo tibi rectè sumpsisti lucem unam eandemq; numero esse uel ubique uel in multis locis eodem tempore, cùm sint distinctæ qualitates numero, quæ sunt in distinctis subiectis. Eædem quidem sunt specie, sed non individuo seu numero, ut cum scholis ad maiorem perspicuitatem loquar.

Quomodo lux dicatur pertransire uitrum

PAN. Attamen lux pertransit uitrum citra ullam eius fractionem uel scissuram. ORO. Hic etiam non parum hallucinaris. Fingis enim eandem numero lucem esse, quæ extra uitrum sita ipsum illustrat, cum illa quæ domum intus illuminat. Falleris: quoniam hoc pacto res agitur. Lux externa uitrum ipsum afficit, nimirum id illustrando, & calefaciendo. Vitrum autem sic affectum & immutatum, aerem qui est intra domum, & illuminat, & excalfacit. Quæ circa lux & calor externi aeris, uitri, & aeris domestici, quamuis eiusdem sint formæ, numero tamen differunt, nisi statuere uelis, formas, accidentia, et rerum actus, uel perfectiones ex uno subiecto in alterum migrare seu transferri: quod à nemine qui recte philosophetur impetrabis.

Nec alio

Nec alia est ratio imaginis Solis, quam unã & eandem soletis dicere in diuersis locis esse, hoc est, in permultis, uarijs, & distantibus aquæ partibus, ut in utraq; parte ripæ, nec non in medio seu lacus seu fluminis. Non enim una est imago numero, sed innumerabiles quodammodo à corpore solari multiplicantur, & per aerem & in aqua ubi conspiciuntur, licet per aerem non uideatur. Proinde sunt permultæ numero, licet specie omnes inter se conueniunt. Cumq; non habeant idem subiectum, utiq; necesse est ut numero seu indiuiduo inter se non sint eædem.

PAN. Vox tamen cùm una eademq; sit, in locis innumeris propemodum est. Nam si adfuerint præsentes eidem concioni bis terue mille homines, eodem tempore ac simul uocem concionatoris percipiunt, non autem perciperent nisi præsens illis adesset.

Respondetur ad argumentum de uoce.

ORO. Hic etiam tibi finis ἀμφιβολίας, Eiusdẽ, imponi. Alia quippe dicuntur eadem specie, ut paulò antè demonstraui. Alia uerò sunt eadem numero, uel indiuiduo. Cumq; non bene distinguas inter idem & diuersum, nullo negotio & decipis & deciperis. Vt autem intelligas non unam uocem esse numero quam omnes adstantes percipiunt, sed tot numero esse uoces quot adstantes eas audiunt, rem paulò altius repetam, quo tibi clarè ac perspicuè naturam soni explicem: nam ea cognita, & uocis naturam intelliges, quantum ad præsentem rationem conducit. Vt ex Aristotele 2. libro de anima colligitur, Sonus est qualitas sensibilis ab auditu, quæ producitur ex motu fracti aeris, et in eo tanquam in subiecto hæret, & per ipsum multiplicatur.

An sonus & uox ad omnes audientes perueniat.

& quidem circulari figura, quo ad aures hominum ad stantium perueniat, &c. Soni iam audiſti genus, differentias, & omnes utiq; cauſas. Materia uel ſubiectum eſt aer, Forma qualitas ſenſibilis. Agens cauſa id eſt à quo aer circumſtans frangitur. Hæc autem cauſa ſi ad uocem contrahatur ſonus, eſt ſpiritus uel flatus ex ore loquentis cum aliquo impetu emiſſus, aerem frãgens. Multiplicatio uerò ſoni, aut uocis per aerem ſeu per aquam (nam utrunq; horum elementorum eſt harum formarum ſoni ſcilicet et uocis ſubiectum) ita fit. Pars elementi quæ prius icta eſt, proximam ſibi partem ferit, illa deinde alteram, ſecunda tertiam, & ita deinceps contingit, quàm diu uis percutientis poteſt in eis conſeruari. Fiuntq; iſtæ multiplicationes figura ſphærica. Vnde cùm ſic feruntur ſoni, & uoces per uarios circulos & ferium, & ingrediuntur aures adſtantiũ, & ad myringam, id eſt ſenſiterium auditus perferuntur, ibi ſonus auditur, ac inde ſpecies eius ad nernos opticos defertur, et de ſoni conditione, ſeu proprietate ibi iudicatur. Quamobrem tot ſunt numero ſoni, & uoces, quot ſunt audientes, niſi dicere uelis idem accidens numero in diuerſis eſſe ſubiectis: quod fieri non poteſt, neq; ab ullis Phyſicis concederetur. Sunt quidem eiuſdẽ ſpeciei, ſed numero diſtinguntur. Huiuſcemodi uerò multiplicationis forma ita deſcribi ſolet. Iaciat quiſpiã lapidem in flumen, frãgitur eo ictu aqua. Deinde fracta impellit circumſtantem aquam, et inde oritur circuli figura. Pars autem illa identidem proximam ſibi ferit. Vnde maior circulus emergit, quiſimiliter agitat poſteriorem aquam, & ibi ampliorem

circu

circulum efficit. Ac ita multiplicatio circulorum pergit, quo ad uis primi percutientis in ictibus conseruatur. Denique successus nouarum figurarum aboletur: & quo illi circuli sunt remotiores & ampliores, eo figura est obscurior ac debilior, donec tandem euanescat. Non autem arbitror te adeò ineptum esse, ut non agnoscas figuras illas circulorum permultas numero esse, non unã. Quòd si figuræ multiplicantur, nec sunt eædem, quare soni & uoces circulis illis inhærentes, non erunt numero seu individuo multæ? Neque Augustinus istam sonorum ignorauit multiplicationem. Scripsit quippe ad Dardanum epistola 57. Quanto excellẽtius Deus natura incorporea et immutabiliter uiua, qui non sicut sonus per moras temporum tendi & diuidi potest, nec spacio aereo tanquam loco suo indiget, ubi præsentibus præsto sit: sed æterna stabilitate in se ipso manens totus adesse rebus omnibus potest, & singulis totus, &c. Idcirco ἰδέας, quas adduxisti, rudioribus & popello aliquam fidem possunt facere, sed paulò diligentius et artificiosius eas consyderanti non imponunt. PAN. Ego nolim tam subtiliter philosophari. Didici quidem, sed malim Theologi professionem retinere. ORO. Subtilia hæc utcunque uidentur, sed tamen à me sunt perspicuè (quantum fieri potuit) exposita: nec dubito satis abs te perceptũ, quàm parùm ad rem, quæ in manibus est, faciant.

PAN. Redeamus ad sacra. Necesse uobis est testimonio diuinarũ literarũ adactis cõfiteri Christi humanitatẽ ab assumptione illius in cœlos in terris fuisse uisam. Nam de Stephano sic scribitur in Actis cap. 7.

Cum autem esset plenus spiritu sancto, intentis in cœlum oculis uidit gloriam Dei & Iesum stantem à dextris Dei, & ait: Ecce uideo cœlos apertos & filium hominis stantem à dexteris Dei. Et in eodem libro capite 9. scripsit Lucas de Paulo: Et subitò circumfulsit eum lux de cœlo, collapsusq; in terrã audiuit uocem dicentẽ sibi, Saul, Saul, quid me persequeris? Dixit aũt, Quis es domine? Dominus autem dixit, Ego sum Iesus quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Is tremens ac stupens dixit, Domine, quid me uis facere? Et Dominus ad eum, Surge. Ingredere ciuitatẽ, & dicetur tibi quid te oporteat facere, &c. Et non multo post: Erat autem quidam discipulus Damasci nomine Ananias, & dixit ad illum per uisum dominus, Anania. Et ille ait: Ecce ego domine. Et dominus ad eum, &c. Adijciam etiam quod Ambrosius de Petro narrat libro 5. Epistolarum in oratione quam habuit in Auxentium Arianum: Postea uicto Simone, cùm præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitauit animos gentilium. Quibus eum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt, ut paulisper cederet. Et quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim ut ad instituendum & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit. Et uidens sibi in porta Christum occurrere, urbemq; ingredi, ait: Domine quo uadis? Respondit Christus, Venio Romam rursus crucifigi. Intellexit Petrus diuinum ad suam crucem pertinere responsum, &c. Ex ijs facile potes colligere, Christum ut habe-

habere humanitatem suam cœlo inclusam, sed nonnunquam se demonstrasse uidendum & audiendum in terris.

ORO. Istis etiam historijs quibus uideris multum fidere, nequicquam proficis. De Stephano primum dicam. An Christi humanitatem putas ad eum propius accessisse ut ab illo posset conspici? Non est necesse ut sic fieret. Nam si eis assentiamur qui existimant in uidendo radios ab oculis emitti usque ad res quæ conspiciuntur, non ne potuit ui diuina fieri, ut ita beati martyris oculi roborarentur, ut cum possent anteà usque ad firmamentum acie sua naturaliter pertingere, ac in eo uaria sydera cernere, tunc in summo discrimine, cum pro nomine Iesu Christi erat moriendum, ultra firmamentum usque ad regiones beatorum extenderentur, ac ibi super omnes angelos, principatus & dominationes, atque adeò super omnem creaturam uiderint Iesum Christum in gloria Dei, stãtem ad dexteram patris, ut se fortiter adiuuaret, & consolaretur? Sin uerò magis placet eorum sententia qui aiunt, ad uidendum non emitti radios extra oculos, sed potius à rebus ipsis quæ cernuntur multiplicari per medium formas uel imagines earum, quo ad perueniant ad intuentium oculos, in quibus dum recipiuntur, fit ipsarum rerum perceptio. Hanc inquam uiam si libeat persequi, ac ea insistere, non uideo, quid obstet, quo minus Christus incredibili potentia et Maiestate præditus ualuerit sui corporis imagines atque formas usque ad oculos beati Stephani ex regione beatè uiuentium multiplicare, cùm id syderibus octauæ

Respondetur ad argumentum de Stephano.

An Christus appropinquauerit Stephano ut ab eo uideretur.

sphæræ seu firmamenti sit naturaliter, id est, citra miraculum datum, ut usque ad nostros oculos simulachra eorum perueniant. Quare non opus fuit ut corpus Christi è cœlo detraheretur, cùm se uidendum Stephano præbuit. PAN. Sed erat in concilio, quando beata uisio ei contigit. Domus autem concilij si tecta erat (ut est uerisimile) quî potuit acies oculorum tectum penetrare usque ad cœlos, uel species & imagines corporis Christi transire per ipsum tectum usque ad oculos beati martyris? ORO. Miror te isthæc mihi nunc obijcere, qui tantus prædicator sis diuinæ omnipotentiæ. Quasi uel per fenestras uel alia lumina domus, aut radij oculorũ Stephani ad cœlum usque nõ potuerint emitti, aut per illos eosdem aditus, simulachra & imagines tum cœlorum, tum corporis Christi ad Stephani uisum peruenire non potuerint. Deinde tibi sumis ut certum, quod admodum est ambiguum, nempe in domo quapiam fuisse peractum hoc iudicium, cùm Hebræi alioquin in ipsis portis (ut scriptura paßim testatur) consueuerint iudicia exercere. Vnde potius est credibile sub diuo hæc fuisse gesta. Præsertim cùm in fine 6. capitis dicatur, maximam turbam ad illud iudicium conuenisse. Ita enim scribitur: Exorti sunt autem quidam è synagoga quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & Cilicum, & Asianorum disputantes cum Stephano, nec poterant resistere sapientiæ, & spiritui qui loquebatur. Tunc subornarunt uiros qui dicerent, Audiuimus eum dicentem uerba contumeliosa in Mosen ac Deum. Commoueruntq; plebem

& senio-

& seniores & scribas, atq; inuadentes corripuerunt eum, & adduxerunt in concilium, &c. Videmus hîc quot hominum genera conuenerint ad sacerdotes & Pontificem, qui causam erant iudicaturi. Quare consentaneum est, sub diuo iudicium hoc fuisse administratum. Sed fingas (ut libet) in domo Pontificia fuisse cum Stephano actum. Est utique probabile, non in aulis aut cubiculis interioribus, uerùm in uestibulo seu atrio domus rem fuisse confectam. Nam & ad hunc modum cum Christo fuit actum. Petrus in atrio erat, ubi cum alijs dum se calefaceret dominum ter negauit: ad quem Christus oculos flectens pro sua incredibili misericordia illi salutarem pœnitentiam diuinitus afflauit. Non autem potuisset illum corporeis oculis aspicere, nisi stitissent eum coram iudicibus in eodem atrio. Scimus autem atria sub diuo in priori parte domus esse sita, ita ut tota aqua ex omni tecto domus, in aream eorum descendat. Ex ijs omnibus (ut arbitror) intelligis, non oportuisse corpus Christi propius fieri Stephani oculis ut eum uideret. Huc accedit Stephanum dicere, se Christum in cœlis uidere stantem in gloria patris, non in terris aut propè sibi adesse. Vnde cum hunc locum nobis obijcitis, parum attentè uidemini scripturæ uerba expendisse. Mitto præterea illos, qui hanc uisionem imaginariam fuisse contendunt, cuiusmodi fuerunt Ezechielis, Danielis & permultæ cæterorum prophetarum.

Iudicium contra Stephanum ubi fuerit peractum.

Nunc ad Paulum uenio, cum quo dominus in uia loquutus est, & affirmo, ac tibi pro certo dico, Christum quo ad corpus in cœlo fuisse, quando loquebatur cum

Respondet ad argumentum de Paulo & Anania.

Saulo. Quod responsum nequaquam mihi fingo. Etenim id Augustinus pluribus in locis docuit. Primùm in Psalmum 58. ita scribit: Caput in cœlo erat, & dicebat, Quid me persequeris? Nos cũ illo in cœlo, sed per spem. Ipse nobiscum in terra per charitatem, &c. Idem in epistolam Iohannis circa finem sic ait, Ascensurus in cœlum caput, cõmendauit membra in terra, et discessit. Iam non inuenis Christũ loqui in terra, inuenis eũ loqui, sed in cœlo et de ipso cœlo. Quare? Quia membra calcabantur in terra, Persequutori enim Paulo dixit, Saule, Saule, quid me persequeris? Idemq; testatus prius erat in eodem tractatu. Quin etiam De Ciuitate Dei, libro 17. cap. 9. ait, Vt intelligamus de ipso dici quodammodo, quod de eius corpore dicitur, propter quod etiam ipse de cœlo, cùm corpus eius, quod sunt fideles eius, Saulus persequeretur, Saule, inquit, Saule, quid me persequeris? Desine itaque fingere oportuisse Christi corpus de cœlo descendere, ut cum Paulo adhuc persequutore loqueretur. Vox quippè de cœlis formari potuit, & ad aures nasatoris efficaciter pertingere. Apparuit item ei dominus agenti in templo (ut cap. 22. Acto. habetur) cum extra se raptus esset. Nam sic ait: καὶ γενομένου μοι ὑποστρέψαντος εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ προσευχομένου. Vnde potuit esse animi uisio, non oculorum inspectio. Deinde in templo erat, id est, in atrio subdiuali. Adhaec adstitit ei cum esset in castris, sed noctu, ideoq; non fuit corporea uisio, sed diuinum insomnium.

De Ananía uerò nõ est multum laborandum, quid historia sacra doceat in uisione id cõtigisse. Quoniam autem

autem animi ac mentes hominum dormientium aut vigilantium diuinitus affici soleant, nunc tecum disputandum non censeo.

Quod postremo loco ex Ambrosio attulisti, omnium est infirmissimum, quia illa qualis qualis historia in diuinis literis non habetur, & idcirco tam potest recipi quàm repudiari. Multa quippe mendacia & fictæ narrationes, etiã de sacris, rebus crebro in vulgũ spargũtur, quæ ut apud aliquos fidẽ merentur, sic ab alijs magna cõfidentia irridentur. At demus ita contigisse. Quid iam tandem inde colliges? Petrus utiq; potuit aliquo simulachro ad speciem Christi diuinitus efficto commonefieri ne fugeret, quòd mortis eius iam hora instaret. Neq; fuit necesse ad hoc indicandum ut Domini corpus è cœlo descenderet. Quare tu neq; rectè, neq; ordine facis, qui de tali, tantoq; dogmate infirmis rationibus, instantijs dubijs, & narrationibus incertis, uelis constituere. Respondetur ad narrationem Ambrosij.

PAN. Non tamen potes inficiari unum oculum simul complecti multos homines. ORO. Nõ sunt profectò aut grauitatis, aut eruditionis tuæ huiusce-modi obiectiones. Non es adeò rerũ imperitus, ut uerè credas multos homines in eodẽ oculo simul contineri. Quòd si uisus plures complectatur, id potes cogitare duplici ratione fieri. Vel radios complures emittendo ad homines quos cernit. Atq; hoc pacto dare oportebit ex oculo totidem radios effundi, quot homines cernit. Nec tamen ad propositam quæstionem quicquam faciet. Non enim mirum est ex corpore lucido, ut est oculus, radios permultos exire, cùm quotidie uidea- Ad Argumentum de uno oculo qui multos comprehendat homines.

mus è Sole ac cæteris astris propemodum innumeros proficisci. Vel si uisus fiat recipiendo simulachra, & imagines rerum quas percipimus, ea non sunt conferenda cum Christi corpore, quòd citra controuersiam firmum ac solidum est, ut quod ossa et carnem habeat. At illa cùm simulachra sint, imagines, & res (ut multi loquuntur) intentionales, (non enim firmiter subiecto hærent, ut accidentia & qualitates reliquæ, à quibus accipiunt subiecta suas denominationes) non mirũ est si locum non occupant. Id autem fit duplici ratione. Primum quòd accidentia sunt, non substantiæ corporeæ. Accidentium uerò est, non per se, uerùm per subiecta collocari. Deinde quòd potius imagines, & simulachra rerum sint, quàm res ipsæ, quas referũt. Quæ satis agnoscit, qui non delirat, corpus Christi cum hoc rerum genere non debere conferri. Præterea cùm disceptemus, an corpus Domini simul sit in multis locis, aut ubiq;, tu è diuerso mihi obijcis multos homines esse simul eodemq; tempore in uno eodemq; oculo. Verum hac de re iam satis multa.

Anima humana an sit tota in toto & tota in qualibet parte.

PAN. At de anima humana quid tandem es responsurus? Ea ut ab omnibus uulgò decãtatur, est tota in toto corpore, ac tota in qualibet eius parte. Quod animo datur, corpori Christi non cõcedetur? ORO. Multa sunt animis propria, quæ corpori congruere nequeunt. An tu arbitraris totum corpus (ut à tuo argumento non recedam) esse in qualibet sui parte? Non te credo sic insanire. Totum quippe corpus non est in ore, neq; totũ in utraq; manu, uel in utroq; pede. Cur itaq; id tu prædices animæ conuenire, ut sit tota in to-

tõ, cum

to, non est consentaneum ut ad corpus id transferatur. Quod est igitur animi, animo relinquamus: & corpori Christi certa sua localitas maneat salua. Deinde quod tu asseris ita uulgò decantatum, mihi non uidetur esse uerum: nec à sapientibus physicis recipitur. Nam Stoici & Plato senserunt animam rationalem in cerebro esse, ac ibi tanquam in subiecto residere: concupiscentem uerò seu appetentem cordi attribuerūt: altricem uerò seu nutrientem hepati adscripserunt. Atq; hoc modo Plato (ut ex Timæo colligitur circa finem) ut in tres partes animam secuit, ita etiam loco et subiecto disiunxit. Aristoteles uerò totam rationalem animam uidetur opinari subiecto unam esse, sed uiribus ac potestatibus diuiduam. Proinde facit illam quid dam totum, et unum, seu (ut physici loquuntur in scholis) potestatiuum, quod multiplices & uarias habeat potestates, quas omnes cùm in omnibus membris non habeat, non est tota in qualibet parte, quia nō in omni corporis membro potest audire, uidere, olfacere, ac omnes actiones & opera exercere. Vnde non est tota cū omnibus suis actionibus & uiribus in qualibet corporis parte. Forma enim est organica, & uires suas habet certis organis & membris alligatas, nec eas potest ad alias partes corporis transfundere. Quocirca dicimus animam quo ad naturam et essentiam suam, quæ per definitionem exprimitur, esse totam in toto corpore, ac in omnibus eius partibus: siquidem est eius actus, uel forma, & ipsum constituit animatum. Quo autem ad uires eius, est tota in toto: quia omnes facultates et uires & actiones habet per corpus dispositas,

Stoici, & Plato.

Aristoteles

& ordine pulcherrimo digestas. Non tamen est tota in omnibus partibus: sed tota in toto, & pars in partibus. Quamobrem tua hæc argumẽta magis phalerata quàm uera dici possunt. Aliquid roboris habuisset ratio tua, si probasses animam dum est in corpore, simul etiam eodemq; tempore extra illud existere. At hoc neq; ostendisti, neq; potest à quoquam ostendi.

Respondetur argumẽto deducto ex uerbis Athanasij.

PAN. Athanasius tamen ita scripsit in Symbolo: Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Anima uerò & corpus ita unita sunt, ut ubicunq; fuerit unum, et alterum sit. Quare idem statuendum erit de utraq; Christi natura. ORO. Athanasij & aliorum orthodoxorum Patrum de anima & corpore, nec non de utraq; Christi natura simile à me ultrò ac libenter admittitur, quantum ad sacramentum dominicæ incarnationis declarandum facit, & duarum naturarum in eadẽ persona unitatem ostendendam. Sed tuum (qui alioqui satis haberis perspicax) esset attentè consyderare, in similibus quæ producuntur causa docendi multa esse dißimilia, quod in hoc tuo euenire nõ erit laboriosum demonstrare. Verbum quippe ante omnem æternitatem naturam humanam, quam suscepit, anteceßit. Verùm animæ humanæ nõ ita præcesserunt corpus quod animatum reddunt, ideò se quo ad tempus non multò excedunt. Deinde Christi deitas nunquam se à natura humana seiunxit, quam sibi per incarnationem adunauit: Animas uerò corpora sua deserere quotidie uidemus. Adhæc anima si à corpore seorsim consyderetur, etsi præclara sit res, non tamen est perfecta et absolu-

soluta. Verbum autem Dei etiam antè incarnationem, æque perfectum fuit, atq; post assumptam humanitatem. Nec ignoramus animam esse formam corporis: quod minimè possemus de Verbo quo ad humanitatem affirmare. Neq; fieri potest, ut Verbo, quod (ut sæpe dictum est) quo ad æternitatem & quo ad essentiã est infinitum, humanitas adæquetur, quæ tam circumscriptam habet naturam, quàm temporarium suæ productionis initium. Postremo animus etsi unà cum corpore non moritur, cum eo tamen simul dolet & afficitur: quod (ut superius demonstratũ est) de Verbo Dei minimè possumus asserere. Quamobrẽ etsi valet hoc simile ad ostendendam unitatem personæ Christi, non tamẽ convincit ubiquitatem naturæ humanæ ob unionem hypostaticam esse communicatam: quia nec anima corpori communicat immortalitatem.

PAN. Hoc quoq; tacere non possum, cùm fatemini Christi corpus esse in cœlis, assentiri nos oportere, illud etiam esse ubiq;. Nam dum invocamus Deũ, et Christi magisterio instructi dicimus, Pater noster qui es in cœlis, nos implorare illius Dei fidem et auxilium profitemur, qui est ubiq;. Atq; ad hunc modum eam locutionem viri pietate ac doctrina insignes exposuerunt. Responditur argumẽto ducto ab invocatione Patris nostri qui est in cœlis.

ORO. Verum quidem est Deum omnipotentem, cœlestem inquam patrem, quem invocamus, cùm sit infinitus, esse ubiq;. In cœlis attamen orando peculiariter esse prædicamus, quòd ea sit pars totius orbis pulcherrima. Nec ex alia regione mundi perfectiores, maiores, & præclariores Dei actiones hominibus quàm inde sese declarant. Neq; aliam rationem Quare deus dicatur esse in cœlis.

adduxerunt Philosophi, cur omnes nationes putauerint Deos in cœlis esse. Cæterum hac de re uolo ipsum audias Tertullianũ, tam uetustũ, quàm eruditũ Ecclesiasticum scriptorem. Is ait aduersus Praxeam: Rursus quot personæ tibi uidentur peruersissime Praxea? Nisi quot & uoces. Habes Filium in terris. Habes Patrem in cœlis. Non est separatio ista, sed dispositio diuina. Cæterum scimus Deum etiam intra abyssos esse, & ubique consistere, sed ui, & potestate Filium quoque ut individuum cum ipso ubique. Temere in ipsa οἰκονομίᾳ Pater uoluit Filium in terris haberi, se uerò in cœlis, quo ipse Filius suspiciens & orabat, et postulabat à patre, quo & nos erectos doceret orare, Pater noster qui es in cœlis, cùm sit & ubique. Hanc sedem suam uoluit pater. Minorauit Filium modico citra angelos ad terram dimittendo, gloria & honore coronaturus illum in cœlos resumendo, &c. Discito hinc Deum quidem esse ubique, at id non significari cum oramus, Qui es in cœlis: Imò intelligi cœlos peculiarem sedem esse quam sibi Deus elegerit, quo & Christum erat resumpturus. Cuius humanitatem οἰκονομίᾳ, id est, functione sui ministerij uoluit in terris agere. Deinde particulam, Qui es in cœlis, animaduertito à Tertulliano sic accipi, quòd Christus docuerit nos orare illò erectos, &c. Nec mirum filium Dei hoc docuisse, cùm in Psalmis patris eius Dauidis passim occurrat, Deum peculiariter in cœlis esse. Ibi enim scribitur: Dominus de cœlo respexit super filios hominum. Et: Deus misit uel manum uel auxilium de cœlo, & liberauit me. Necnon: Dominus in cœlo paravit

Tertullianus.

uit sedem suam. Præterea, Cœlum cœli domino, terrã autem dedit filijs hominum. Item, Qui habitat in cœlis irridebit eos. Ac denique Psalmo 19. dicuntur Cœli prædicare maiestatem seu gloriam Dei: quod sanè ibi aliquot uersibus pulcherrimè ac eleganter explicatur. Taceo Augustini et quorundam aliorum interpretationem, qua sentiunt Deum in cœlis esse idcircò dici quòd eius uoluntas perfecte inter cœlites, id est, angelos, & beatos hominum spiritus fiat: quod apud homines in terris minime contingit, dum hanc miseram uitam exigunt. Quamobrem iam te arbitror satis intelligere, cur dominus noster Iesus Christus nos orare docuerit, Pater noster qui es in cœlis. Et parum, imò potius nihil habet rationis, ut ex ea loquutionis formula conuincatur Cœlum esse ubique.

PAN. Haud opinor te corpori Christi adeò parum fauere, ut non credas illud saltem à suo ascensu in cœlum omnes infirmitates, & huius mundi perituras proprietates deposuisse. Inter quas etiam hæc est, ut non possit nisi in uno loco esse. Quocirca sequitur etiam hunc defectum à corpore Christi iam glorificato sublatum et ademptum esse, ac propterea nunc iam non cogi in uno loco agere, sed esse ubique. ORO. Equidem corpori Christi sum admodum propitius, atque illi mirum in modum faueo. At non existimo defectum esse humanitatis, ut illam certo loco esse oporteat, sed potius eius naturæ conditionem, in qua fuit ab initio creata. Nisi fortassis etiam dixeris infirmitatem aut defectum esse, quod humanum corpus oporteat aures, nares, oculos et os habere. Certè ut ad eius

Respondetur argumẽto ducto ex eo quòd is corpus Christi deposuerit omnes defectus.

perfectam constitutionem hæc sunt necessaria, ita illud oportet esse locale, ac propter corporis modum, aliquo certo loco contineri.

PAN. Non me latet in uestris ecclesijs & scholis non minus quàm in nostris inuocationem sanctorum prohiberi. Et rectè illud quidem: quoniam inuocatio tribuit inuocato maiestatem omnipotentiæ, omniscientiæ, ubiquitatis, & summæ beneuolentiæ. Hæc autem sanctis citra magnam Dei ignominiam tribui non possunt. Christus autem in toto terrarum orbe, ab omnibus Christianis inuocatur, non tantum ut Deus & Dei filius, sed etiam ut homo & hominis filius, in unitate personæ. Ergo necesse est, ut non tantum secundum diuinitatem, sed etiam secundum humanitatem sit omnipotens, omniscius, ubiq; præsens, & summè beneuolus, &c. ORO. Nos profectò (quemadmodum ais) inuocationem diuorum superstitiosam, è nostris ecclesijs omnino substulimus, quòd inuocatio huiuscemodi non potuerit ex fide proficisci. Nam ea citra uerbum Dei locum habere non potest. Nusquam uerò scriptura inuocationem mortuorum approbauit, sed illam potius improbauit. Quod nō est ut hoc loco excutiamus. Hoc tantùm dicam, Scripturam & meliores ex Patribus affirmare defunctos quid hic agatur ignorare, nisi quantum Deus illis noluerit ostendere: quod nos cùm ignoremus, non posse auxilium sanctorum implorare citra hæsitationem. Sed miror te ubiquitatis mentionem facere, quasi nephas eam sanctis tribuere, qui superius affirmaueris unà cum Hieronymo contra Iouinianum sanctos

Respondetur argumento ex eo ducto quòd Christus ubique inuocetur.

esse

esse ubique cum agno. Sed ijs omissis, de Christo respondeo, illum per orbem à Christianis iure meritoq; inuocari: quandoquidem id apertissimis uerbis mandatur ut fiat. Deinde certi sumus illum non tantùm esse hominem, sed etiam Deum. Neq; illum inficiamur esse ubique quo ad diuinitatem. Et in inuocando licet non excludamus ab eo humanitatem, non tamen inuocamus illum ratione humanitatis, sed ob diuinitatem quæ cum humana natura coniuncta est. Vt cum quispiam alloquitur amicum quatenus audit, non tamen excludit ab eo manus, pedes, & uentrem, quæ partes non audiunt. Et rex adoratur non seorsim à sua purpura, quamuis causa & ratio adorationis à purpura non sumatur. Et si quis adorãdo eam, se protestaretur illã à rege abiungere, iniuria non leui eũ afficeret. Vides itaque nec adorationem neque inuocationem domini nostri Iesu Christi tuo dogmati patrocinari.

PAN. Multa porrò hactenus Orthodoxe respondisti, quæ audiendo quàm diligentissime attendi, & ea posthac maturè ac grauiter mecum expendam. Interea uerò id tibi dicam, nos dum Christi carnem atq; corpus à rebus humanis in cœlum, & ad nescio quas nostras beatorum, & feliciter uiuentium regiones abiegatis, incurrere duo grauissima incommoda. Quorum unum est, quod uobis ipsis in rebus tam aduersis quàm secundis pessimè consulitis. Nam ut sunt res hominum etiam renatorum infirmæ, dum tranquilla pace, ac securo fruimur otio, ad fluxas uoluptates, illecebras carnis, & fœda uitia corporis facile dilabimur, nixq; nos refrenare possumus, quin in turpia & cras-

ſiora peccata liberius incidamus, iſta perſuaſione ut cunque freti, Chriſtum iam à nobis diſceßiſſe, ſuis ſuo cœlo, neque illi curæ eſſe quid à nobis in terris agatur: uenturum quidem eſſe tandem ad iudicandos uiuos & mortuos, interea uerò dum abſque illius conſcientia licet peccare, non eſſe tantam occaſionem prætermittendam: ſiquidem aut minus aut nihil peccatis noſtris offenditur, cùm ea præſens non cognoſcit. Verùm ex noſtro decreto, ſi recipiatur, & (ut par eſt) fideli pectore credatur, non parua reuerentia, & caſtus timor animum ſubit, ſi quid turpe, aut Chriſtiano indignum ſe offerat committendum, cum & illum hominem quem Verbum Dei aſſumpſit præſentem adeſſe ſtatuamus, non modò factis noſtris, & dictis, uerum etiam cogitatis. Quis tunc, obſecro te, à pudendis & ſceleratis culpis non ſibi temperet, cernendo ſibi adeſſe teſtem & iudicem tantum uirum atque Deum? Seneca, ethnicus alioqui, tamen uir grauißimus, ad euitanda clancularia uitia, ſuadebat ut ſemper quando ſoli uerſamur nobiſcum, ſeueriſſimum aliquē uirum qualis fuit Scipio, Lælius, Cato, nobis & teſtem & inſpectorem noſtrarum rerum adeſſe cenſeamus. Quod ſi ea uiſa eſt medela qualiſcunque noſtræ corruptelæ, cur multò efficacius non proderit ea fides qua uerè credamus Chriſtum etiam qua homo eſt, noſtris omnibus & rebus & actionibus præſentem adeſſe? In rebus autem aduerſis gratiſſima nobis eſt conſolatio, quòd non modò ipſum Deum, ſed etiam Chriſtum hominem habeamus præſentem adiutorem. Ita neque mundus, neque caro, neque diabolus, neque crudeliſſi-

Seneca.

mi

mi tyranni possunt in grauissimis tormentis & media morte nos perterrefacere: quia nobis procul non est (scilicet ultra omnes aspectabiles cœlos, ut uos fingitis) noster propugnator Iesus Christus, etiam quatenus homo. Non est quærendus in longinquis regionibus noster Pontifex qui pro nobis intercedat, & à nobis auertat mala quibus premimur. Hoc genere præsidij eoq; dulcissimo & firmissimo uos ipsos infeliciter nudastis. ORO. Speciosa hæc sunt commemoratu, et facilè possunt aures plebis demulcere, sed nunquam falsa referenda sunt ad populum oblectandum. Si tamopere ut narras optanda esset Christi corporalis præsentia ut uitia refrenarentur atque magis coherèrentur, præsertim bonis rebus, cur Christus ex hoc mundo se subduxit? Ad istum modum potuissent cum eo Apostoli expostulare, ac reuera tristes erant, cùm eum audirent de suo abitu ad patrem permulta narrantem. Deinde quare ad nos magis retinendos & seruandos à peccatis non se aspectabilem cuiq; nostrum exhibet? Certè magis quoad hoc proficeret si à nobis cerneretur, quàm sua cæca præsentia quã cõfinxistis faciat. Apage ista leuia, ne dixerim puerilia, argumenta. Nisi Dei summi ac Optimi Maximi, patrisq; cœlestis præsentia, necnon Christi diuinitas adsens, & almi spiritus, utriusque nimirum patris & filij uiuificus et sanctus afflatus nos à peccando per ministerium uerbi & sacramentorum auocet, quid faciet quæso te carnis aut corporis occulta et latens præsentia? Antiquitus in columna & nube die noctuq; dominus uidebatur Israelitis præsens, nec tamen à peccando reuoca-

Respondetur argumento ex eo ducto quod nos priuaueri-mus duplici commodo.

bantur. Quid ergo faciet caro Christi dum non videtur? Senecæ consilium aliquid momenti habuisse non diffiteor. Sed pro Lælio, Catone, Scipione, atque pro Christi (ut vultis) inuisibili humanitate, sufficit nobis Pater, Filius, Spiritus sanctus, diuinæ literæ, sacramenta, & mutuæ fratrum adhortationes. Qui non mouetur hisce potentissimis rebus, quid inuisibili, ne phantastica dixerim, præsentia corporis Christi proficietur? Nec ideò quia præsens non adest carne, putandus est, si quid turpiter committimus, id ignorare, cum illum & Deum & hominem esse confiteamur. Quid potest Deum latere? Quin potius ipsum audimus in Euangelica historia de suo abitu è mundo agentem, Lucæ 19. capite, ubi seipsum fecit instar hominis præclari ac nobilis, qui proficisceretur in regionem admodum remotam, & interim suas pecunias committeret seruis, ut eas rectè ac industriè negotiando augerent. Audis Pantache quid ipse de se ipso testetur, nimirum quòd abierit, & aliquandiu sit futurus in regione longinqua, quo scilicet ad carnem, ac nostras esse partes gratiam & charismata eius laborando in ecclesia fructuosa reddere, ut illi non præsenti quoad corpus, sed redituro nos approbemus? In Matthæo quoque cap. 24. habetur, Beatus ille seruus quem cum uenerit dominus, inuenerit sic facientem. Amen dico uobis, super omnia bona sua constituet eum. Quòd si dixerit seruus ille malus in corde suo, Cũctatur dominus meus uenire, cœperitq; percutere conseruos, imò edere & bibere cum ebrijs, ueniet dominus serui illius in die qua non expectat, & hora quam ignorat, & dissecabit eum,

cum, &c. Hæc humanitatem Christi abesse à nobis do cent, & seruos bonos dare operam pro uiribus ut absenti hero pareant: prauos autem ex illius absentia & mora occasionem capere flagitiorum quæ cõmittunt. Nulla uerò sit mentio cæcæ atq; clancularię illius præsentiæ. Desinas itaq; nobis obtrudere credẽdum quod neq; sacræ literæ docent, neq; si daretur, plus momenti quo ad salutem nobis afferret quàm colores noctu in tenebris, dum non cernuntur, oculos & uisum nostrum uel iuuent uel oblectent.

Deinde quo ad auxilium in aduersis impetrandũ, cùm illis crudeliter premimur, nil præsidij minus habemus ex nostra fide, quàm uos ex uestra experiamini. Nam si diuina hypostasis filij Dei (quemadmodum inter nos conuenit) est ubiq;, nonne ubicunq; uexamur, poterit nos liberare, protegere ac defendere? Quid plus ad id momẽti afferet natura humana, si præsens adfuerit inuisibilis? Adhæc si omnes proprietates communes habet cum Verbo (quemadmodum statuitis) etiamsi degat in cœlis, nos inde unà cum Verbo Deo tuebitur. Certè apud patrem Christus, qua homo est, intercedit, & opem ac defensionem quancunq; nanciscimur ipse obtinet. Deinde humanitatem eius cùm tanta unione Verbo insita sit, nostræ inuocationes & preces minimè latẽt, etiamsi procul hinc absit. Cur etiam non attendis Beato Martyri Stephano non fuisse uisum Christum iuxta se stantem, ut se adiuuaret & consolaretur in summo discrimine, sed ait, Ecce uideo cœlos apertos & Iesum stantem à dextris, &c? Profectò si erat in terris, ibi congruebat ut illi se osten

deret. Neq; oportuisset cœlos aperiri, nisi supra cœlos aspectabiles eius corpus fuisset. De Pontifice autem nostro ubi nam in præsentia sit, non oportet multis explicare, cùm scribatur in Epistola ad Hebræos: Habemus igitur Pontificem magnum qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei. Nec minus ibi quàm si cæca præsentia esset in terris, pro nobis patri suũ sacrificiũ offert, & illum nobis placatũ et propitiũ reddit. Iam liquidò tibi ostẽsum esse reor, ea cõmoda quæ tã magnificè amplificasti, asserẽdo illa in nos ex præsentia latenti corporis Christi deriuari, etiã citra eã haberi & perfici.

PAN. De incommodo pridem satis est dictum. Quare ad alterum explicandum me confero. Id saltem præ uobis fructus & utilitatis ex nostra sententia capimus, quòd firmiter credimus, nec dubitamus corpus & sanguinem Christi uerè, substantialiter, ac realiter adesse in pane ac uino Cœnæ, & ibi distribui ac sumi. Quod uos dicere non potestis, nec etiam profitemini, cùm ipsam Christi humanitatem doceatis & mordicus propugnetis in aliquo certo loco esse cœli, idq; circũscriptiua locatione. Quare (ut multis) cùm amplius non sit in terris, non potest cum pane ac uino in Cœna manducari. Non est utiq; leue bonum, seu aspernandum commodum, nos de tanto mysterio quid sentiamus posse apertè ac rotundè cõfiteri. Quod uobis minimè contingit. Nam ex uestris alij dicunt, in Cœna se frui gratia et fructu corporis & sanguinis Christi pro nobis traditi. Alij affirmant corpus & sanguinem Christi spiritualiter comedere. Ac alios audiuis dicere illic edi corpus Domini, ac sanguinem eius bibi tan-

tum

tummodò fide, ita ut edere corpus Christi & sanguinem eius bibere nil aliud sit, quàm credere corpus eius mortuum esse nostra causa, & sanguinem eius fusum in remissionem peccatorum. Nec desunt qui affirment, celebrationem sacræ Cœnæ tantummodò esse ut edendo & bibendo commemoremus Christi mortem, & de tanto beneficio gratias Deo quantas possumus agamus. Hoc nil aliud est quàm fluctuari animo, & modò in hanc modò in illam partem summa incertitudine pertrahi. Et sanè paucos mihi crede audiui ex ijs qui à uestra parte stant, paratos de hoc articulo suæ fidei rationem poscentibus reddere. ORO. Mihi (ut uideo) eluenda est ad extremũ hæc nota, quam ecclesijs nostris conaris imurere, quasi nequeant fidei suæ de sacra Cœna rationem reddere, nec expedire possint quidnam in ea percipiant. Te autem Pantache minimè omnium decebat hæc obijcere, cùm ipsi admodum sitis impediti quando uobis explicandum est ut panis sit corpus Christi, & uinum eius sanguis. Multa quidẽ uos dicitis, & cũ detestemini tropos, citra illorum operam exitũ uestræ interpretationis minime inuenitis. De præsentia item illa corporis eodẽ tempore in multis locis ut laboretis, iam (ut opinor) liquidò tibi constitit. Neque istam tuam ubiquitatem omnes Lutherani recipiunt. Sed ijs omissis, tibi me ostendere oportet, quàm facilis et expedita sit nostra responsio, cùm rogamur quidnam accipiamus in sacra Cœna. Primùm constituendum est fideles duplici ore præditos esse, quorum alterum physicum est, quo scilicet potum & cibum prophanum seu communem in uentrem

Respondetur argumento ex eo quòd non possimus ostendere quid sumamus in cœna dominj.

culum transmittunt, ad ipsum corpus alendum & nu-
Duplex est os fidelis. triendum. Alterum os habent, nō quidem propriè, sed per elegantem metaphoram ita dictum, quod ad rationalem animi partem, quatenus est fide illustrata & instructa, pertinet, et eo cœlestem alimoniam recipiunt, ad animi & deniq; totius hominis diuinam instaurationem. Proinde cum accedunt ad sacram Cœnam, naturali ore panem ac uinum sumunt, ore autem animi seu fidei, ea percipiunt quæ ipsis ex instituto Domini significantur, corpus inquam & sanguinem Christi, ut in crucem data fuerunt pro nostra salute. Vtq; os illud animi res est non terrena, sed spiritualis, ita hæc manducatio non est propria, sed metaphorica. Vnde manducare corpus Christi, ac eius bibere sanguinem, est uerè ac efficaciter credere illa nostri causſa fuisse à Deo in mortem crucis tradita.

PAN. At necesse est ante quàm fratres ad mensam accedant, omnino ista credere: alioquin sibi iudicium seu condemnationem ederēt ac biberent. Quare de mensa non accipiunt plus corporis et sanguinis Domini quàm prius habuerint. ORO. Falleris, quia dum hic uiuimus fides non est absoluta, sed continuum habet accessiones, & coniunctio nostra cum Christi corpore, non est adeò intima, quin semper illam oporteat interiorem fieri. Quare in edendo & bibendo,
An in Cœna coniunctio nostra cum carne Christi magis augeatur. cum Cœna Dominica celebratur, accenditur magis ac magis, & crescit fides, & sui obiecti, corporis inquā, & sanguinis Domini, magis redditur particeps, & amplius illa spirituali reficimur alimonia. PAN. Mira hæc uidentur. ORO. Et nihilominus in hoc

ptis-

ptiſmo adultorum uides idem uſuuenire. Nec mireris. Etenim qui iuſta ratione uolunt ſacro Baptiſmo tingi, prius neceſſe eſt ut credant, quàm tinganur. Quòd ſi credunt, iam ſunt iuſtificati, & condonationem gratuitam peccatorum acceperunt. Quid ergò ex illa tinctione ſacra quæ conſequitur plus accipient, quàm prius habuerint? Proinde tu prudenter cogites, quid hîc ſis reſponſurus, ac tibi ipſi pro me totidem uerbis eſſe reſponſum putes. Profectò utrinq; tã in ſacra Cœna quàm in baptiſmo ponendus non eſt ludus inanis nacuorum ſignorum. Quare ſic ſtatuere oportet, res ipſas quæ per ſymbola demonſtrantur prius quàm ad ſacram menſam accedamus, inchoata quadam coniunctione, animis ac fidei noſtræ præſentes adeſſe, uerùm quia ſemper nonnihil ei coniunctioni deeſt, idcircò & ibi corpus ac ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumere uerè dicimur, quatenus harum rerum coniunctio maior, arctior, & abſolutior euadit. Vnde Paulus utiliſſimè ſcripſit, Panis quẽ frangimus eſt cõmunicatio corporis Chriſti. Non ſanè quod panis ipſe ſit corpus Chriſti, uel quòd caro Domini (ut uos dicitis) in eo deliteſcat inuiſibilis: ſed quia dũ panẽ fractũ edimus in ſacra Cœna, idq; fideliter, corpus et ſanguis Domini magis magisq; ſpiritualiter nobis communicatur.

PAN. An arbitraris aſpectabilia ſymbola fidem in nobis excitare ſeu augere, dum illis ueſcimur? Equidem nõ reor te operi operato (ut ſophiſtæ loquuntur) quod pariter ut nos deteſtaris, fidẽ adhibere. ORO. Non eam uim rebus externis Pantache tribuo: quandoquidem noſtra fides opus Dei eſt, & à ſolo ſpiritu

An ſymbola externa fidem augeant.

Christi suggeritur. Is quandoq; in animis nostris per seipsum præcisè absq; instrumentis agit, fidem aut gignendo, aut languentem redaccendēdo. Sed plerunq; ac ordinaria uia, utitur uerbo externo & sacramentis, ut electi ad percipienda cœlestia bona uehementer prouocentur. Quamobrem uerbum quod extrinsecus auditur, & sacramenta quæ uerba nuncupantur uisibilia, non sunt causæ fidei, nisi adieceris instrumentales: quæ procul dubio nihil efficerent, nisi magisterium spiritus sancti operaretur interius. Nihilominus tamē id tibi non est surda prætereundum aure, scripturarū loquutionibus ijs instrumentis efficientiam quandam rerum cœlestium attribui. Nam fides asseritur ex auditu esse, auditus autem per uerbum Dei. Et Paulus audet affirmare se Corinthios per Euangelium regenerasse. Hoc autem idcircò fit, ut hæc externa instrumenta Dei non aspernemur. Nam sanè haud parui momenti habēda sunt, cùm Deus illis ad nostram salutem uti dignetur.

Panis quē frangimus est communicatio corporis Christi, exponitur.

PAN. Audiui, & quidem sæpè de te, necnon de alijs uestris doctioribus, illud Pauli dictum, Panis quē frangimus, est communicatio corporis Christi, exponi quòd sit illius communicationis signum, uel aspectabile sacramentum, eo quòd signa hæc sacra nominibus rerum uocentur. ORO. Dixi equidem, ac non semel, quod tu refers: & à nostris præclaris uiris non rarò affirmatur. Nec in præsentia muto dictum. Sed quæ attuli de rerum ipsarum spirituali perceptione, in agitanda Cœna dominica, eo retuli, quo indicarem causam, cur ipsa Cœnæ symbola nomina rerum assequuta

quuta fuerint, nempe quod non sint uacua & inania signa, uerùm fideli eorum usu, rerum quoque significatarum spiritualiter efficiamur participes. Proinde considera, ut falsò nos insimulatus fueris, quòd retinendo sententiam nostram aduersus ubiquitatem, seu præsentiam corporis Christi in multis locis, nescimus explicare quid in sacra Cœna sumamus. Etenim tam perspicuè rem tibi demonstraui, ut minime possis ignorare quid sentiamus.

Nostrorũ sententiæ non pugnãt neq; sunt dissidentes

Colliges etiam hinc sententias illas nostrorum quas ut varias, dissimiles, ac dissidentes adducebas, nequaquã secũ pugnare, sed optimè congruere. Omnia enim ea in sacra Cœna locum habere oportet, si modò rectè atq; ordine celebretur. Etenim uerè dicitur nos in Cœna corpus & sanguinẽ domini, credendo illa esse data in mortem pro nostra salute, spiritualiter edere ac bibere. Nec illi errant qui dicunt, se ibi accipere gratiã, meritum, & fructus mortis eius. Nam qui credendo edit (ut diximus) omnibus illis bonis uberrimè impletur. Nec dubitandum est eo ritu mortem Domini ab ecclesia commemorari, ut ipse Christus Cœna instituenda mandauit, & de tanto beneficio gratias Deo agi.

Apparet etiam hinc nostros affici magna iniuria, qui Cœnam sacram infamentur absque corpore ac sanguine domini celebrare. PAN. Hanc uobis ipsi contumeliam accersiuistis, qui Christi humanitatem ultra omnes cœlos collocaueritis, & ita collocaueritis, ut nobiscum amplius in terris minime uersetur. Quòd si ad eum modum res haberet, quî potest eius corpus atque sanguis uestræ Cœnæ adesse? Qua in-

quam ratione licet uobis carnis & sanguinis eius uerè participes fieri? ORO. Subinde obliuiscere, & cum maxime opus esset meminisse, diuinæ omnipotentiæ, quam consueuisti perpetuò nobis obijcere ad tuam admirabilem ubiquitatem defendendam. Ego profectò si par pari uelim reddere, possem nunc dicere, illa omnipotentia facile posse fieri, ut rerum absentium, & quàm longissimè à nobis distantium reddamur participes, & uerè ac realiter & substantialiter (ut uos ineptè loquimini) carni & sanguini Christi coniungamur. Si persuasum habetis uiribus diuinis contradictiones rerum nihil obstare, cur dare grauabimini, res quæ absunt eodem tempore ac simul præsentes adesse? Hoc ego non propterea dico, quod ita de potentia Dei sentiam, sed ut animaduertas, & re ipsa experiaris, quàm tua ratio in oppugnando nostro decreto hebescat & retundatur à scuto Dei omnipotentiæ, si ea (ut uos crebrò facitis) uelimus abuti.

An habeamus cœnã sine corpore Christi.

Sed hoc respondendi genere omisso, te commonefacio, Ad unitatem seu coniunctionem spiritualem quam renati habent cum corpore ac sanguine Christi, non requiri spatij seu loci propinquitatem. Vnde licet Christi humanitas sita sit ultra uisibiles cœlos, nobis tamen uiuifica unione coniungi potest, qui adhuc in terris agimus. Nos porrò, quotquot uere domino credimus, licet uarios & distantissimos orbis terrarum incolimus tractus, membra sumus nihilominus eiusdem capitis, quæ ab eo pendemus, & uerè dicimur esse ex carnibus eius, necnon os ex ossibus eius. Quare, si locorum distantia non obstat quominus fideles qui

Ad coniunctionem spiritualem cum corpore Christi, nõ requiritur propinquitas loci.

agnus

gunt in Anglia, sint cum illis fratribus qui tam in Gallia quàm in Germania uersantur, astrictissimè coniuncti: quid impediet quin cum Christi natura humana iungamur, & quidem maxima unione, quamuis à nobis longissimo tractu locorum distet? Vir si ab uxore (quemadmodum fit) aliqua peregrinatione interdum abiungatur, non idcircò desinit esse cum illa una caro. Christum uerò ecclesiæ, nec non cuique fideli iunctum esse spirituali iuxtaq; firmissimo coniugio, nemo inficiabitur. Quamobrē nostram unionem cum eius carne ac sanguine, distantia locorum quantumuis longinqua, nō potest auellere. Mitto eā uim esse fidei ut quæ procul distant, & quæ iam præterita sunt, non tantùm præsentia faciat, sed etiam credentium oculis mentis efficaciter subijciat. Vnde fidei iure ac efficacia Corpus quod est in beata regione uiuentium super omnes cœlos, non potest dici à nobis uiuentibus adhuc in mundo abiungi, si ex fide iam simus renati. Adhæc Sol iste mundanus ab ipsius ortu usque ad occasum, toto inquam die, licet in cœlo sit affixus, & ibi unà cum orbe suo moueatur, procul admodum à nobis uideatur abesse qui habitamus terrā, si spacia & locorum distantiam spectaueris. Attamen ab omnibus dicitur nobis præsens, quòd non solùm calorem & lucem, uerum etiam dulces, efficaces, atque uiuificas influentias rebus mortalibus perpetuo ac largissimè suppeditet. Quanto magis Christus etiam quo ad humanitatem uerissimus Iustitiæ Sol, qui nunquam suis occidit, illis præsens esse credetur, non sane carnali, reali, corporali & substantiali præsentia (ut uos confin-

Similitu.

Aliud & mile.

gitis) uerùm spirituali, qua nos gratia, spiritu, & suis opulentißimis donis largißimè imbuit. Iis addas Cœnam Domini rem esse cœlestem ac spiritualem, non humanam & carnalem. Propterea fideles dum communicant, ui spiritus sancti qui operatur in eis per externum uerbum & huius mysterij symbola, mentem suam euehunt super omnes cœlos, ubi Christo reipsa præsenti fruuntur, præsertim quo ad humanitatem, quàm spectant & contemplantur, quatenus pro salute hominum in cruce tradita fuit, pretium Deo acceptißimum. Iam uides quot rationibus corporis Christi præsentiam asseramus in sacra cœna. Quòd si nobis deest Papisticus & uester modus, qui paruo admodum à se inuicem discrimine separantur, non sumus propterea existimandi habere δεῖπνον ἀσώματον, Fructus autem atque utilitatis ipsi non plus habetis ex crassa illa præsentia, si uobis concederetur, quàm nos è spirituali hauriamus. Quare mihi semper uisi estis minus quàm par est sapere, cùm pro dogmate æque absurdo ac inutili sic laboretis, nec pro eo tuendo quicquã habetis nisi Christi τὸ ῥητὸν, Hoc est corpus meum: quæ sentẽtia ut dexterius atq; cõmodius à nostris quàm à uestris exponatur, facile uideretis, nisi animi obfirmatio uestris mentibus dẽsas tenebras induxisset.

Communicantiũ mentes ad cœlũ euehuntur.

PAN. Quando te audio mihi de sacramentaria quæstione respondisse adeò multis, ego quoq; duo tecum statui conferre, quæ ad hanc rem apprimè dilucidandam plurimum conducunt. Atq; tibi fortè nondũ fuerunt hactenus ita exposita, ut me nunc expressurum confido. ORO. Animum tuum expleas, &

quæ

quæ libuerit per me liberè dicito. PAN. Tres in Christiana professione obseruandæ sunt enunciationũ seu prædicationũ formæ, quas & Philosophi aliud agẽtes ignorarunt, & multi ex ijs qui nomen Christo dederunt, eas parùm attendentes, in errores non minus fœdos quàm pernicioſos horribiliter sunt prolapsi. Prima ſpecies prædicationis, causa docendi uocetur Personalis: qua Deum esse hominem, & uicißim hominem esse Deum pronunciamus, cùm tamen in hac duarum naturarum coniunctione, quamuis hypostatica et & arctißima nulla intercedat earum transsubstantiatio. Non enim Verbum conuertitur in hominem, suam abijciendo naturam, nec homo transit in Verbum desinens esse quod prius fuerat. Id Papæ mancipia dum attentè non perpenderunt, panem & uinum transsubstantiari putarunt in sacra Cœna, ob coniunctionem corporis & sanguinis Christi quæ cum illis intercedit. Et in eo sanè turpißimè labuntur, quia longè minor est unio corporis & sanguinis Christi cum pane ac uino, quàm humanitatis Christi cũ eius diuinitate. Vnde cùm in ea, quæ omnium arctißima est, non admittatur transsubstantitio, quia neutra natura in alteram commutatur, cur illam Cœnæ mysterio affixerunt? Profectò ut saluæ manent duæ naturæ in Christo, cur salua substantia panis & uini, corpus & sanguis Christi nõ possunt illis adiungi? Hinc fons & origo erroris Papistarum deprehenditur, quod plus tribuerint unioni seu prædicationi Sacramentali, quàm Personali. Habemus deinde aliam enunciandi seu dicendi formulam, quæ Sacramentalis appellatur, qua (cũ

decebat post aduentum Christi) res quæ significantur, propriè, uerè ac substantialiter uel corporaliter signis externis præsentes adsunt. Atq; ita de pane ac de uino simpliciter dicitur & creditur, quòd sint corpus & sanguis Christi: quamuis ibi nulla interponitur elementorum transubstantiatio. Tertiam dicendi seu prædicandi rationem uocare possumus Ceremonialem seu Typicam, qua ritus ueterum & ceremoniæ declarantur umbræ ac figuræ fuisse, nec non sacra signa Iesu Christi seruatoris nostri qui nondum uenerat, sed uenturus expectabatur. Hoc discrimen cùm à multis non animaduertitur, nec discernitur inter Sacramentalem ac Typicam prædicationem, secta orta est Sacramentariorum. Nam corpus & sanguinẽ Domini cum pane ac uino tantùm significatione iungi arbitrantur, nec plus dant nostris sacramentis quàm ueterum figuris atq; typis largiantur, Cùm res ipsa exigat ut sacramenta quæ Christus instituit, res largiantur, quæ ueterum typi & umbræ significabant & promittebant.

Modò alterum caput explicandum tibi superest. ORO. Quæso te ne longius progrediaris, Verum finito ut de ijs quæ dixisti quod meum sit iudicium prius expediã. PAN. Vt uidetur. ORO. De primo enunciationis uel unionis genere, nõ esset quid multa uerba inter nos cõmutaremus. Damus quippe duas naturas in Christo eadem persona coniunctas, citra illarum conuersionem seu transubstantiationem. Sed uos uidemini, licet id uerbis negetis, naturarum ibi confusionem seu transubstantiationẽ facere, quãdo

naturas

naturam non modò diuinam sed etiam humanam esse multis infinitam & ubiq;. Deinde asseritis omnes proprietates non tantùm uerbaliter, sed etiam re ipsa inter illas communicari: cùm tamen (ut iam ostensum est) ex eis multæ sint ita deitatis propriæ, ut humanitatis esse non possint, & aliæ non paucæ quæ ad carnem & humanitatem sic pertinent, ut diuinitati nequeant attribui.

Sed quoniam de ijs antea semel & iterum actum est, ideò illa nolo prolixius refricare: Vnde ad reliquas duas prædicationes excutiendas, pro ut eas recẽsuisti, me conferam: quas licet uos congeminetis, nos unam ac eãdem esse affirmamus. Nec satis possum admirari uos Typicam seu Ceremonialem à Sacramentali discerpere, cùm in Cœna sacra ceremoniam seu ritum habeamus à Christo institutum, et ibi panis & uinum typi dicti sint corporis & sanguinis Domini, ab authoribus Ecclesiasticis, qui Græce scripserunt. Et Latini signa ea esse illarum rerum quæ significantur, non uereriti sunt confiteri.

Deinde negare ueteres comedisse Christum in suis figuris ac signis, est Paulo Apostolo quàm apertissimè repugnare, qui ad Corinthios priori ait, illos eandem escam spiritualem comedisse, nec non eundem potum spiritualem bibisse. Ac ne quis ambigeret quem cibum spiritualem sumpserint, illicò subiecit, Petram fuisse Christum, de qua biberint. Et ut doceret nostra & illorum eadem sacramenta fuisse, non tantùm cibi potusq; spiritualis meminit, sed etiam baptismi. Et Augustinus istarum rerum magister fidelissimus, Tractatu 26. su-

per Iohannem scribit, Hūc panem significauit manna. Hunc panem significauit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt, in signis diuersa sunt, sed in re quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi, Nolo enim uos inquit ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes per Mosen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerūt, spiritalem utiq; eandem. Nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud: spiritalem uerò, quam nos. Sed Patres nostri, non patres illorum, quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerūt, &c. Et mox: Aliud illi, aliud nos, sed specie uisibili: quod tamen hoc idem significaret spiritale. Idem fermè habet in libro de utilitate Pœnitentiæ, ubi scribit, Cibum spiritualem manducauerunt. Quid est eundem? nisi quod eum, quem etiam nos, &c. Et mox: Quicunq; in manna Christum intellexerunt, sumpserunt eundem quem nos cibum spiritualem, id est qui fide capiebatur, non qui corpore hauriebatur, &c. Et mox: Eundem ergò cibum, eundem potum, sed intelligentibus & credentibus: non intelligentibus autem, illud solum manna, illa sola aqua. Credenti autem idem qui nunc. Tunc enim Christus uenturus, modò Christus uenit. Venturus & Venit diuersa uerba sunt: Idem autem Christus, &c. Liceret etiam ex alijs Patribus aliqua congerere testimonia: sed breuitati studeo. Idcirco ijs Augustini dictis ero contentus. Videris postea nos accusare, quòd nostris sacramentis non plus quàm legalibus tribuamus. Quòd profectò aliter se habet. Quoniam cum Augustino sentimus,

timus, qui nostra dicit esse illis faciliora, pauciora, clariora, uberiora, &c. Poteris etiam his addere communiora uel uniuersaliora: quoniam, sunt non uni genti Hebraicæ, sed toti orbi communicata. Hæc si uelim singillatim amplificare, facilè intelligeres ut nostra sacramenta pluris quàm uetera faciamus.

PAN. At non percipio ex tuis dictis, quid amplius ex nostris mysterijs nos habeamus, quàm antiqui ex suis hauserint. ORO. Quod ad rem ipsam attinet, idem illi nobiscum habuerunt, nempe Christū: nō tamen eadem mensura. Quia (ut de statu consueto, et ordinaria illius populi ratione loquar) Christus qui ab eis percipiebatur ut mediator & redemptor humani generis, obscurè admodū ostendebatur. Erat quippe in mysterijs & ritibus Mosaicis caligo, & significatio tenebricosa. PAN. Quare te dixisti hæc pronunciare de communi sorte illius gentis? ORO. Quia Prophetæ ac Patriarchæ cum spiritu Dei essent instructissimi, clarè atq; apertè in Sacramentis Legalibus et Christum & redemptionem per illum dandam oculo fidei cernebant & contemplabantur, atq; fideliter manducando corpore ac sanguine Christi feliciter uescebantur. PAN. At nondum in rerum natura hæc erant. ORO. Id nihil refert: quandoquidem Christi manducatio spiritualis fide peragitur: ea uerò & absentia & futura, præsentia efficit. Deinde non te latet in sacris literis dici, Agnum esse occisum ab origine mūdi: quo nimirum ad patris propitiationem & acceptationem. Quandoquidem eius uictimæ oblatio ante omnem æternitatem electis profuit.

Verùm ad id redeo quod cœperam explicare de maiori atque illustriori nostrorum sacramentorum claritate. Profectò res perfectius atque solidius constant & intelliguntur cùm præstitæ sunt & absolutæ, quàm cùm promissione duntaxat oblatæ fuerint. Magis enim perspicuè intelligimus oracula & promissa cùm sunt perfecta & completa, quàm cùm per transennam umbræ ac promissi ostenduntur. Deinde sacris legalibus adiecta nõ erant uerba, quæ Christi mortem ac passionem pro salute significanter explicarent, quemadmodum in Baptismo & Eucharistia, mysterijs noui Testamenti sunt apposita. Vnde cum fides (ut attestatur Apostolus) sit ex auditu, & auditus per uerbum Dei, consequitur ut in quibus ritibus ac cerimonijs collocata sunt à Deo dilucidior significatio, & illustrior uerborum claritas, per illa spiritus sanctus, ordinaria & consueta uia (ut superius exposui) excitet in hominum cordibus, fidem ampliorem & efficaciorem, quàm per obscura & magis caliginosa olim fecerit. Quare si credere sit corpore ac sanguine domini pasci, qui clariori ac splendidiori fide præditi sunt, ij opulentius atque uberius hac cœlesti alimonia fruuntur. Hinc ut existimo aperte demonstratum est, nos de sacramentis euãgelicis multò sentire augustius quàm de ueteribus. Neque illud simpliciter accipiendum est, quod ipse attulisti, & uulgò passim iactatur, Sacramenta quæ Christus instituit ea conferre ac dare, quæ in ueteribus promittebantur: quoniam id est intelligendum sanè, quo scilicet ad seruatoris aduentum, qui sacris Mosaicis promittebatur futurus, no-

stris

stris uerò demonstratur ut qui non amplius expectetur, sed iam datus fuerit, non quasi nunc Domini corpus reipsa in pane, uel sub pane communicantibus exhibeatur. Proinde in Cœna Christum edimus, ut iam pro nobis in mortem & passionem datum: ueteres autem ut olim crucifigendum & moriturum fide manducabant.

Sed quia de hoc argumẽto nunc satis est dictum, aliud per me tibi licet cùm uolueris proponere. PAN. Augustinus censet, cùm aliqua sententia diuinarum literarum proponitur, ita ut ambiguum sit an ea uel propriè uel tropicè sit intelligenda: hoc ex circumstantijs uel antè uel post adiectis esse dijudicandum. Quod potest exemplo allato confirmari. Christus de se ipso dixit, Ego sum uitis uera. Possent autem ex ea loquutione aliqui suspicari, eum se uitem ex earum numero pronunciasse, quæ in uinetis coluntur: ij uerò ne decipiantur, spectare necesse est quæ postea subijciuntur, Nimirum & uos palmites. Cumq; admodum sit perspicuum, Apostolos non fuisse ueros palmites, pari eademq; ratione cognoscitur, dominum haudquaquam fuisse naturalem uitem. Hanc etiam nos oportet regulam sequi, cùm à domino audimus pronunciari de pane, Hoc est corpus meum, & ambigimus an simpliciter, an metaphoricè huiuscemodi uerba sint interpretanda, nempe ut expendamus quàm diligentissimè quid sequatur. Additur porrò statim, Quod pro uobis tradetur. Nemo uerò, nisi data opera insaniat, affirmare audebit, panem ipsum, aut corpus fictitium seu Phantasticum fuisse in crucem pro nobis

tradita. Ideò consectarium est id quod à Christo demonstrabatur, fuisse uerè, propriè, ac naturaliter suũ corpus. Et conficitur, ea uerba simpliciter ac citra metaphoram seu tropum esse omnino intelligenda.

ORO. Regulam siue ab Augustino siue ab alijs doctis uiris propositam non reijcio, imò lubens & uolens admitto, Nempe ut ambigua dicta scripturarum per circumstantias uel antea uel postea expressas dijudicentur. Sed tamen allatæ regulæ aliam addiderim. Quando à circumstantijs alicuius dicti non potest insta & clara interpretatio deriuari, ad alia diuinarum literarum loca respiciendum esse, ac diligenter expendendũ, utri nam sensui, proprio inquam an tropico fáueant, & utrum illorum oppugnent, atque inde iudicium de intelligentia seu interpretatione faciendum. Quod attuli, exemplis illustrare minimè grauabor. Dixit Deus, Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinem nostram, &c. Hinc ἀνθρωπομορφίται confici dixerunt, Deum habere corpus & animam, & cætera membra, ut ea conspicimus in homine formata. Sed illos ex alijs scripturæ locis confutamus. Nam de Deo scribitur, Spiritus est. Et: Spiritus carnem & ossa non habet. Deum nemo uidit unquam, &c. In Ioanne habetur, Pater maior me est. Hinc Ariani concludebant filium patre minorem: Nos autem dictum illud ad naturam humanam contrahimus, neque ad diuinam adaptamus, & diuinitatem Christi ostendimus ex 1. cap. Ioannis. 9. ad Romanos, & ex Epistola 1. Ioannis 5. Dixit Christus, Ego & pater unum sumus, &c. Ibi Samosatenus distinctionem personarum tollit. Nos ue-

rò

rò illam aſtruimus, quòd pater dixerit: Hic eſt filius meus dilectus, &c. Hæc enim uerba manifeſtè demonſtrant perſonarum diſcrimen. Et illud Ioannis, Et Verbum erat apud Deum, &c. Quòd uerum non eſſet, ſi pater & filius eadem hypoſtaſi conſtitueretur. Pro indè liquet non tantùm ab ijs quæ antecedunt, & ſequũtur obſcuram ſententiã illam eſſe interpretandã, ſed etiam ex aliorũ locorũ diuinæ ſcripturæ analogia. Idcirco nos tum ex ijs quæ in hiſtoria Cœnæ habentur, tum ex alijs literarum ſanctarum dictis euincimus illa domini uerba, Hoc eſt corpus meum, non eſſe propriè, utq; dicunt literaliter accipienda. Primum conſideramus in ſacra cœna Chriſtum corpore ſuo cum Apoſtolis accubuiſſe. Ab illis conſpiciebatur: cũ ipſis loquebatur. Vndè cùm panem acciperent, ſatis intelligebant ſibi aliud à Chriſto diſtribui, quàm illud corpus quod uidebant ſibi adſtare. PAN. Quid ergo ſibi porrigi exiſtimabant? ORO. Myſterium uel ſacramentum, quod ſignum eſſet corporis & ſanguinis domini, quæ pro nobis tradenda erant atq; fundenda. Et ea ſi uera fide complecterentur, ipſis cæteriſq; fidelibus fore cernebant inſtar panis & uini, quo ad ſpiritualem ſubſtentationem. Quæq; ſic in Cœna fuerunt inſtituta, pulcherrimè cum ijs quæ 6. cap. Ioannis habentur conſentiunt. Nam ibi Chriſtus carnem ſuam panem uocauit, dicendo, Ego ſum panis uiuus, &c. Et, Panis quem ego dabo caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi uita, &c. Hîc uerò propoſitionem conuertit, & panẽ dicit eſſe corpus ſuum. Idemq; ſignificatur utrobique, nempe corpus & ſanguinem

domini, quatenus data fuerint pro nostra salute, dum efficaci atque ardenti fide à nobis comprehenduntur, esse animi atque mentis nostræ salutarem panem atque potum, quo subinde reficiamur ac recreemur ad æternam uitam. Vt itaq; dixit in Ioanne carnem suam esse panem uitæ, ita nunc de pane pronuntiauit, quòd esset corpus suum. Et sanè tam nobilis alimenti symbolum aptius inueniri non potuit quàm panis. Eo enim corpus quotidie reficitur atque instauratur. Vnde mihi facilè persuadeo, tum Apostolos cum hæc in Cœna fierent, ea planius intellexisse, quæ in 6. capite Ioannis à Christo dicta fuisse narrantur. Durum quippe tum uidebatur & perabsurdum carnes humanas edere, ac sanguinem potare, sed nunc docentur id non carnali, sed spirituali ratione faciendum. Accumbebat enim Christus integro & sano corpore, atque distribuendo, & calicem porrigendo adstantibus Apostolis: illa dicebat corpus & sanguinem suum esse. Quare mirari desierunt, aperte sentientes, non realiter, corporaliter, ac substantialiter carnes humanas edendas, & sanguinem humanum potandum, sed spiritualiter, hoc est animo atque fide, cuius interioris alimoniæ, cibus externi panis, & potus externi uini, symbola, typi, & sacramenta essent. Nec edendo atque bibendo iussu domini terrore sunt perculsi, nec interrogarunt quicquam de ratione ac modo quo sui præceptoris carnes ederent, aut sanguinem biberent. Iam enim cognoscebant quomodo intelligenda essent quæ prius à domino audiuerant. Vnde Chrysostomus in Matthæi caput 26. Homilia 83. scribit, Quomodo turbati

bati non fuerunt cùm hoc audissent? Quia multa iam & magna de hoc ante disseruit. Hæc itaque circumstantia, quod uiderent Apostoli corpus Christi sibi adstare, uel accumbere, non mutari, nec in panem transilire, aut suum sanguinem in calicem distillare, fidem fecit id quod dicebatur, non propriè sed metaphoricè intelligendum. Accedit præterea dominum ex ipso pane atq; potu unà cum Apostolis edisse ac bibisse. Quî autem fieri poterat ut realiter ac substantialiter seipsum ederet ac biberet? Rem uerò sic gestam esse uerba eius indicant. Dixit enim: Non bibã posthac de hoc genimine uitis, &c. Et Chrysostomus in Matthæum Homilia 83. scribit, Ipse quoque bibit ex eo, Ne auditis uerbis illis dicerent, Quid igitur sanguinem bibimus, & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur. Nam & quando prius de his uerba fecit, multi solum modò propter uerba scandalum passi sunt. Ne igitur tunc id quoq; accideret, primus ipse hoc fecit, ut tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret. Alia deinde circumstantia ibi se offert quæ nos ad tropicum sensum amplectendum impellit, quòd Christus hæc ad memoriam sui fieri mandauit. Memoriam uerò non ignoramus præsentiam rei quæ commemoratur minimè requirere. Imò Bernardus agens de hoc mysterio, memoriæ præsentiam opponit. Scribit enim Sermone 33. in Cantica. At quantalibet sanè abundantia pinguescant ista, non pari omnino iucunditate sumitur cortex sacramenti & adeps frumenti, fides & species, memoria & præsentia, æternitas & tempus, &c. Hæc autem dicta sint de ijs cir-

cumſtantijs quæ colliguntur ex Euangeliſtis de hiſtoria ſacræ Cœnæ. Sũt alia loca præterea in ſcripturis, quæ uerba illa non propriè ſed tropicè oſtendunt accipienda, ut quæ traduntur de Chriſti aſcenſione ſuper omnes cœlos, quæq; à Petro dicuntur illum oportuiſſe cœlum accipere uſq; ad omnium rerum reſtitutionẽ. Deinde ut id ſentiamus nos admonet ueritas humanæ naturæ, quam ut illi tribuamus oportet. Eſt & Pauli teſtimonium, quo ait, Patres in ueteri teſtamento eundem cibum potumq; ſpiritualem habuiſſe. Alia etiam permulta ſunt quæ ſuperius affatim commemorauí, à quibus idem perſuademur. PAN. Quis ergò erit ſenſus uerborum Domini? ORO. Hoc eſt corpus meum, ſic exponendũ erit, Hoc, quod ſcilicet demonſtrabatur, ſignificat corpus meum, Vel eſt ſacramentũ corporis mei. Nec inuſitatum aut nouum eſt, ut ſigna externa in myſterijs nomina rerum ſignificatarũ ſortiantur, ut Auguſtinus & alij Patres docuerũt. Et quæ ſubijciuntur nos minimè adigunt ad proprium illorum uerborũ ſenſum. Statim adijcitur, Quod pro uobis tradetur. At id non ad panem qui demonſtratur eſt referendum, ſed ad uerum Chriſti corpus, quod illo pane ſignificatur, uel cuius ille panis typus eſt & ſacramentum.

Iam ad illa duo, quæ aiebas reſtare mihi obijcienda, reſponſum arbitror. PAN. Plus quàm ſatis accepi quæ pro tuo dogmate propugnando retuliſti: quæ propterea non recipio, quod ab humana ratione potius quàm à uerbo Dei proficiſci uideantur. Id autem uehementer deploro, Nos qui initio arma noſtra ſpiritualia aduer

aduersus Antichristianismum magno consensu expediuimus, ea nunc (ô rem miserrimã) in nostra ipsorum uiscera ita conuertimus, ut alij ueram præsentiam corporis et sanguinis Christi in Cœna multò hostilius oppugnent, quàm unquã aduersus Papistas sunt grassati. Alij ne non sit satis offendiculorum in ecclesia, ubiuis ex amicorum uel dictis, uel scriptis uenentur, & calumnientur, et quod sectæ nomine anathematizent accõdemnent: qui cum multos innocentes falsò sectarios faciant, non intelligunt se nouum sectæ genus, quod est ἀνθεμωνιστῶν creare. Inter hæc socialia bella, & ecclesia filij Dei periclitatur, et hostes ad opprimendam eã haud quaquam dormitant. Quid ergò faciamus? Alius alia consilia proponit. Ego quòd ad me in his difficillimis rebus & in tanta animorum distractione attinet, memini quod de senibus dictũ est, ἐνταὶ δὲ γερόντων. Repeto igitur precationem regis Iosaphat, In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut poßimus tanta offendicula è regno Christi tollere & tranquillitatem constituere. Sed cùm ignorèmus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros, ad te Domine Deus dirigamus. ORO. Argumenta & confirmationes iam allatæ an ex uerbo Dei an ex humana ratione ductæ sint, si rectè iudicare uelis exutus affectibus partium, eas diligenter expendas, nec detrectes nostros libros interdum consulere. Vestrum uerò figmentum, ne portentum dixerim, Vbiquitatis, cuiusmodi sit quid attinet amplius dicere? Id satis in colloquio nostro demonstraui. Calamos uerò stringi potius in uiscera nostra quàm in Papistas ego unà tecum flo-

Grauis & iusta querela.

Causa contentionum acerbissimarum unde profecta.

biliter lamentor. Sed quid iuuat collachrymari? Cur potius non ſpectas cauſas ex quibus res in tam acerbas & implacabiles contentiones abierit? Certè ſi eas diligenter intuearis, cognoſces à nobis non eſſe profectas. Vos perpetuò dediſtis operam ut nos opprimeretis. Honorificis profectò atq; clariſſimis titulis nos (quæ ueſtra modeſtia eſt) ornaſtis. A uobis nil aliud audiuimus quàm Hæreticos, Suermeros, Phanaticos, Sacramentarios, Sectarios, & quid non, quod faceret ad contumeliam? Hoc addam præterea, nunquam ſtetiſſe per nos, quin mutuò inter nos haberemus, & appellaremus fratres. Quid autem de noua ſecta ἀναθεματισῶν tibi uelis, non planè intelligo. Noſtri utiq; (quod ego ſciam) nunquam uos anathematizarunt. At ueſtri, ut ipſi condemnaremur, pedibus, manibus, uelis, remis, omnibusq; modis conati ſunt. Et in cõuentu nuper habito Neuburgi res quàm acerrime acta eſt, nec aliud fermè quærebatur, niſi ut ſolenniter, & quàm apertiſſimè damnaremur. Verùm Dei gratia, nec non quorundam principum uirtute ac bonitate conatus ad optatam finem minimè peruenerunt. Nunc uerò ais nullum remedium extra preces tibi ac tuis eſſe relictum. Vtinam id uerè in animo ueſtro ſtatuiſſetis. Non enim editione ueſtri poſtremi libri, quo defendere Vbiquitatem humanitatis Chriſti nitimini, de induſtria crabrones irritaretis. Verùm hoc ueſtrum eſt ingenium. Soli cæteris omnibus loqui affectatis de loco ſuperiori, & ſupercilio erecto præſcribere quid ſit credendum. Vtinam iam tandem per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti det Deus, ut idem in eccleſia omnes loqua-

loquamur, nec sint inter nos dißidia, simusq; integri seu aptati in eadem mente, et in eadem sententia, &c. Sed multum uereor, quæ nostra peccata sunt, ne hac ætate simus id impetraturi. PAN. Nolo ut collo quendo ulterius pergamus. Nam dum sermones cedimus, elapsum est permultum temporis, & alia mihi agenda sunt. ORO. Per me tibi licet quocunq; volueris abire. Precor tibi meliorem mentem & sanorem doctrinam. PAN. Ego uerò quid tibi precer ignoro. Id tantùm peto ut de re sacramentaria cum Luthero sacias, & de nostra ueneranda Vbiquitate, rectius post hac & sentias & loquaris.

FINIS.

Bast. Johannes Weissmerus
suo libello